DE
WENCESLAO REGE ROMANORVM

COMMENTATIO HISTORICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE

IN ALMA LITERARVM VNIVERSITATE

FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

ET VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XV. M. MAII A. CIↃIↃCCCLXIX

IN PVBLICO DEFENDET

FRANCISCVS VOISS

RHENANVS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:

PETRVS DIDOLFF, SEM. HIST. SOD.
HVB. EVG. SCHVLZEN, DR. PHIL.
GVIL. REVTER, CAND. PHIL.

BONNAE.

TYPIS I. F. CARTHAVSII.

GVILELMO SCHMITZ

DR. PH. RECTORI PROGYMNASII COLONIENSIS

PRAECEPTORI HVMANISSIMO

Wenceslaus cum ad regnum accederet, peracto duorum saeculorum spatio primus fuit, qui patrem filius sequeretur pacato imperio nec turbato complurium principum studiis rerum potiendi. Itaque cum sperare possent homines illius aetatis, fore ut Germaniae regnum effloresceret et confirmaretur, omne rei discrimen in eo erat positum, eodemne esset rex iuvenilis prudenti ac sagaci ingenio, quo opus erat, ut, quae Carolus IV coepisset, continuarentur atque perficerentur. Nec minus intererat, utrum principes et civitates promptos alacresque sese haberent ad regni statum emendandum regisque potestatem stabiliendam, an regi hoc in negotio peragendo repugnarent. Nam etsi Wenceslaus electorum consensu rex erat creatus, minime inde efficere licet, cum reliqui principes tum electores omnibus in rebus concordes fuisse cum rege ac consentientes. Sane quidem Carolus, quo erat ingenio diplomatico, electores eo adduxit, ut filium ad regnum promoverent; nullo tamen modo perducere eos potuit, ut regni salutem suis rationibus anteponerent regisque dignitatem atque auctoritatem agnoscerent: ne illud quidem ei successit, ut propensiores ipsius familiae principes redderet[1]). Ut enim iam diu consueverant, opes et territoria sua principes cum magno regni civitatiumque damno augere semper atque amplificare studebant; et vel tum, cum Carolus callide usus ratione, quae eos inter et civitates curiamque papalem intercessit, iam diem electioni habendae destinasset, prin-

---

1) cfr. Henrich, „de Wenceslai regis Romanor. electione". Bonnae 1868, p. 9. sq.

cipes animos suos ad Lützelburgensem in regnum promovendum minime inclinare probarunt: Rupertus Palatinus Caroli filium advenientem a civibus Francofurtanis splendide excipi vetuit, archiepiscopi autem Trevirensis et Coloniensis ad electionem venire cunctati sunt [1]. — Inter caussas denique, cur imperator electores non admodum sibi conciliaret, erat quod, filio vix electo, denuo cum curia Avenionensi tractavit [2], ne ulla ex parte Wenceslao imperium suscipienti pararentur impedimenta. Qua re electores, qui ab omni obsequio curiae praestando semper abhorrebant, ad eam sententiam adduci necesse erat, Carolum electionis approbationem a papa expetere. Neque vero odium principum et studia adversa imperatorem effugere: „Utinam", inquit, „essem securus, quod non inimicarent domui meae, et nunquam aliquis ex meis intraret imperium" [3].

Itaque quae inter regem cunctis suffragiis electum et principes intercedebat ratio, tamdiu tantum aequa et opportuna esse potuit, quamdiu Wenceslai consiliis illorum commoda nec detrectabantur nec minuebantur. Eodem prorsus animo civitates erant affectae. Quae licet successionem hereditariam praetulerint contentionibus caedibusque singulis electionibus coortis; attamen illa ratione, qua Carolus IV filio imperium comparaverat, iura sua ac privilegia sanctissima vel violata esse vel periclitari videbant. Satis enim inter omnes constabat, Carolum ingentibus pecuniis principes corrupisse [4]; neque latuit, quomodo quae promiserat praestare vellet, quippe cum filio vix electo oppida Donauwerth et Weil principibus oppignerarentur [5]. Talis cum rerum condicio esset, miran-

1) cfr. Henrich, „de Wenceslai regis Romanor. electione." Bonnae 1868, p. 58.

2) ib. p. 71 sq.

3) Julius Weizsäcker, Deutsche Reichstagsakten. I, n. 63. 1, 5.

4) „Chroniken der Deutschen staedte" ed. Hegel I, p. 34. IV, p. 44.

5) Vischer, gesch. des Schwaeb. staedtebundes, Forschungen zur Deutsch. gesch. II, p. 22. reg. n. 80.

dum non erat, quod Sueviae civitates, quae sorte urbis Donauwerth permotae ad suam libertatem defendendam praesertim contra oppignerationes foedus pepigerant[1]), novo regi homagia recusabant[2]). Etiam tum, cum Carolus una cum principibus, qui summopere ut civium superbia et arrogantia reprimeretur et coerceretur agebant, homagia vi exigere coactus Ulmam obsideret[3]), civitates fortiter restiterunt quantisque viribus iam fuerint instructae, inde effici licet, quod Caroli expeditio irrita prorsus fuit[4]), ita ut imperator — nullo modo vi se quidquam assecuturum videns aegreque fortasse ferens, quod Bavarorum duces belli non erant participes, imo civitates sibi conciliare studebant[5]), — ab oppugnatione desisteret et quae postulabant civibus concedere statueret.

Haec vero res et rationi, qua antea erat usus, et promissionibus Eberhardo comiti factis[6]) maxime fuit contraria. Itaque ut minus esset aperta offensio et discrepantia, neve una civitatium benevolentiam filio non conciliaret[7]), Carolus IV a. d. Kal. VIII. Mart. Wenceslao nullo officio comiti obstricto omnia regni negotia tradidit administranda.

Qui dum summo studio ad pacem publicam restituendam incumbebat[8]), acerrimum Eberhardum inter et civitates bellum exarsit, ita quidem, ut cives quovis impetu superiores discederent pugnaque Reutlingensi splendidissimam ab hoste reportarent victoriam[9]). Quare Wenceslaus, etsi

---

1) Vischer l. c. regest. n. 82. Staelin, Wirtemberg. gesch. III, p. 316.

2) Staedte chron. I, p. 35, 130. IV, p. 45.

3) Staedte chron. I, p. 35 sq. IV, p. 48 sq.

4) St. chr. l. c. chronic. Elwacense ad. a. 1376 (Pertz. Mon. XII). cfr. Staelin p. 319. Vischer p. 25.

5) St. chr. l. c. Gemeiner, Regensburg. chron. II, p. 184.

6) Nam comiti Weil erat oppignorata.

7) Reichstagsakten n. 101. cfr. Vischer p. 26. Henrich p. 71.

8) R. T. A. n. 102. St. chr. IV, p. 184.

9) St. chr. I, p. 36. IV, p. 51. cfr. Staelin, III, p. 320. Vischer p. 27.

Eberhardus pacem inire noluit [1], omnibus nervis ut civitates sibi conciliaret contendit: m. Maio concilio Rotenburgensi pax est constituta, qua rex, patris quidem iussu, Sueviae civitates in regnum recepit nec renovata privilegia se unquam violaturum promisit; oppignerationes autem, si quae cum civitatium damno factae essent, ut nullam vim haberent constitutum est, ita ut Weil Eberhardo pignori data libertatem suam recuperaret, comes denique Wirtembergensis, civibus hostis acerbissimus, munere praefecti imperialis, quo superiore in parte Suevicae provinciae inferioris functus erat, privatus est [2].

Quae filius disposuerat et instituerat cum pater iam a. d. XVII Kal. Iul. rata esse iussisset [3], biduo post missi sunt legati ad civitates, qui homagia acciperent [4].

Itaque ab omnibus Wenceslai electio iam agnita erat, ita sane, ut Suevicarum civitatium foedus re esset sancitum, comes autem Eberhardus maxime offensus regique aversus. Accedit quod reliqui principes hanc agendi rationem tulerunt aegerrime; nam etiamsi Eberhardus minime eis fuit acceptus ut vir litium et rixae cupidus, fortissimus tamen illis erat propugnator adversus civitates [5]. Nonne praeterea verendum fuit, ne rex modo electus — nam hunc potissimum, quoniam Carolus IV liberali erga principes semper fuit animo, civium fautorem putari necesse erat — reliqua quoque quae pater promiserat non servaret nec respiceret?

Quae denique civitatum et principum fuit ratio, pace cum rege confecta, ea minime spem excitare potuit, diuturna quiete regnum esse usurum. Nam etsi Wenceslaus comitiis quae commemóravi Rotenburgensibus pacem publicam in Francorum et Bavarorum terra servandam procla-

---

1) Vischer p. 28.

2) R. T. A. n. 103–109. Staelin p. 322.

3) R. T. A. n. 109—110.

4) ib. n. 111.

5) cfr. Albertus Argentin. (Urstisius. scriptt. Germ. hist. II, p. 153.)

maverat[1]), Eberhardum inter et Suevicas civitates bellum renovatum est[2]). Atque inde, quod pace cum rege inita oppidorum societas sancita esse videbatur, ac superiores plerumque proeliis discessere cives, factum est, ut civitates firmiore ligarentur inter sese vinculo receptisque in societatem aliis oppidis[3]) maiorem principibus in dies concitarent timorem et invidiam. Hoc vero in statu res brevi tantum tempore perseverare potuisse, eo facilius intellegimus, quo magis habemus perspectam et civitatum illius aetatis superbiam et principum arrogantiam.

Regnum hoc modo in summum periculum ac discrimen adductum Carolus IV minime ignorabat. Itaque probata filii electione maxima ope nitebatur, ut quae periculum imminens amovere possent servarentque regni pacem efficeret. Mense Maio a. 1378 terris ad Rhenum superiorem adiacentibus pacem publicam instituit[4]) atque m. Aug. Norimbergam profectus bellum, quod adhuc inter oppida et Eberhardum erat, componere studuit[5]). Et comitis quidem damnum, quod pace a Wenceslao cum civibus confecta acceperat, imperator iam m. Sept. a. 1377 ita restituere voluit, ut, quae imperii fuerant, oppida et castella Alen, Lauterburg, Rosenstein illi oppigneraret[6]). Neque vero haec res caussa fuisse videtur, cur Eberhardus pacis Caroli opera factae duras condiciones acceperit[7]), sed illud potius, quod inferior semper proeliis discessit. Atque id quidem aegerrime eum ferre necesse erat, quob hac pace a Suevicae provinciae praefecturis prorsus fuit remotus. Quam

---

1) R. T. A. n. 112, 113.

2) Vischer p. 29.

3) Staelin p. 324. Vischer reg. n. 100. 102—112.

4) R. T. A. n. 116.

5) Vischer p. 32 sq.

6) Staelin p. 324.

7) R. T. A. n. 119. 120. St. Chr. I. p. 38. IV, p, 57, Staelin p. 326.

rem callidus imperator statim ad suum ipsius convertit commodum. Etenim ut Bavarorum duces, qui dubiis adhuc erga Lützelburgenses animis erant, sibi conciliaret, Fridericum ducem illius quoque provinciae praesidem constituit [1]). Sperare iam potuit, ducem ad regis partes eo prius accessurum, quo magis in odium liberarum civitatium, quae omnes ad societatem adscitae erant, vocaretur.

Et reliquorum principum Carolus denuo captare studuit benevolentiam. Etenim cum pace illa publica, quam Wenceslaus a. 1377 promulgaverat, complura et gravissima imperatori cederentur iura [2]), Carolus in renovanda hac pace ita versatus est, ut — eam haud dubie ob caussam, quia principes Wenceslai statuta aegre tulerunt, — omnibus in rebus dubiis arbitrium penes principes esset [3]).

Quae omnia dum gerebat et disponebat ad pacem regni confirmandam, imperator vita discessit. Ratione sua prudenti et circumspecta, qua alias aliis nitebatur partibus ad consilia sua exsequenda, id unum effecerat, ut quod principes inter et civitates intercedebat odium esset acerbius atque calamitas belli intestini iam instaret: cuius reprimendi curam filio delegavit.

Nec vero haec solum Wenceslao in Germaniae regno erant providenda. Sedem electoralem Moguntinam per longum iam tempus duo affectarunt episcopi, Ludovicus Misnensis et Adolfus Nassovius [4]). Etiam hac contencione Carolus IV ad filio suo coronam Germaniae imponendam usus erat [5]), at hoc ipso atque propter bellum illud contra civitates, quae homagia denegabant, susceptum ei non contigit, ut archiepiscopatus condicionem in veterem revocaret

1) Staelin p. 314. 326. Vischer p. 33.

2) cfr. Weizsäcker, Vorwort zu den R. T. A. p. XCVII sq.

3) R. T. A. n. 121. cfr. 112. art. 23. p. 184.

4) Serarius, Moguntiac. rer. libr. V. p. 862. cfr. Ioannis, rer. Mog. vol. I, p. 684.

5) cfr. Henrich, p. 19, 24, 55.

ordinum. Itaque hoc quoque regis modo electi officium reliquit.

Ad has regni Germanici perturbationes, quae ut tollerentur viri, qualis fuit Wenceslaus, vires ac facultates vix suppetebant, iam accessit schisma ecclesiae vivo Carolo IV coortum[1]). Quam discordiam ne componeret, imperator fuit impeditus, quippe cum secundo mense post antipapam electum diem subiret supremum.

Wenceslaus cum minime ignoraret, quot quantaeque res sibi essent peragendae, neque socordiae sese dedit neque dubius fuit, quod primum esset aggregiendum negotium. Imperium rixis simultatibusque diuturnis distractum fuit et dilaceratum in multas partes et factiones; — omnibus igitur viribus niti debuit, ut pax fieret firmissima ac tutissima. Deinde agendum erat, ut regni incolae de schismate ecclesiastico omnes unum idemque sentirent. Iam enim nonnulli et potentissimi principes, uti Leopoldus, dux Austriae, et Adolfus Nassovius, sedis Moguntinae competitor, Clementis VII partes sequebantur[2]). His igitur rebus Wenceslaus initio sui imperii omnem navavit operam.

Non ita multo post patrem mortuum comitia Norimbergae habenda indixit[3]). Mense Ianuario a. 1379 cum ipse eo advenisset et comitia, nonnullis iam rebus deliberatis, Francofurtum transtulisset[4]), una cum electoribus Rhenanis — quod patris exemplum et iusta illius papae caussa postulabant — Urbani partes suscipiendas declaravit[5]); neque antipapae le-

---

1) Raynuldus, annal. eccles. ad. a. 1378. cfr. Hefele, Conciliengesch. VI, p. 628. sq. Gieseler, Lehrbuch der Kirchengesch. II, 3. p. 131 sq.

2) Ioannis I, p. 692. Pelzel, gesch. Wenzels, I, p. 85. Haeberlin, die allgem. welthistorie IV, p. 72.

3) R. T. A. n. 125—127.

4) R. T. A. p. 226. Pelzel I, p. 74. Haeberlin p. 70 sq.

5) R. T. A. n. 129—133. cfr. p. 226. u. XCIV sq. Raynald. a. 1379. Pelzel I, p. 78 sq. Palacky, böhm. gesch. III, 1. p. 16.

gatis concilium adeundi fuit copia, et qui a rege Francogalliae erant missi, infecta re abiere. Sine ulla dubitatione et alios, ut Urbani caussam sequerentur et ad foedus in illius papae gratiam factum accederent, rex permovere studuit [1]); attamen non ita multum profecit, nec scio an ipsi electores concessis iuribus quibusdam et privilegiis [2]) regi ad ipsius sententiam adducendi fuerint. Civitates vero de discordia ecclesiae iudicium suum cohibuere nec, ut videtur, palam papae Romani rebus favere voluere, nisi eis quoque quasi praemium tribueretur. — Voluerunt scilitet ipsarum societatem lege probari.

Itaque Urbanus ut ab omnibus papa agnosceretur, Wenceslaus non effecit. Nec melius in confirmanda pace publica res ex regis sententia successere; nam in eo acquiescere debuit, ut pacem Kal. Sept. a. 1378 factam, quae principibus tanta concessit iura, renovaret [3]). Ne omnia regni membra aequa condicione ad pacem publicam tuendam consociaret, — quod illo iam tempore spectasse mihi videtur — impeditus fuit et difficultatibus, quae ipsi occurrerunt, cum Urbanum per totum regnum agnosci vellet, et ratione, quae principes inter et civitates intercedebat importunissima et iam his primis in comitiis, qualis vere erat, talem sese ostendit.

Nam quae Ulmenses de comitiis ad suos perscripserunt [4]), luculente manifestant, principes ac cives, qui auctoritate apud regem praevalerent, vehementissime contendisse, quippe cum civitates, ut societas, quam inierant, sanciretur, principes vero, ut dirimeretur, postularent. Res autem ferebant, ut Wenceslaus principum caussam defenderet. Neque enim electores ad foedus illud Urbani caussa factum accessissent, — quam autem vim foedus habuisset a primis potentissimis-

---

1) R. T. A. l. c.

2) ib. n. 135—141. cfr. p. 227.

3) R. T. A. n. 133. 134.

4) ib. n. 141. cfr. pag. 228.

que regni principibus reiectum? — si rex ad civitates inclinasset, nec pax publica illa ratione, qua Wenceslaum voluisse diximus, institui potuisset, si civium foedera fuissent sancita. Itaque civitates de eis, quae postulaverant, repulsam tulerunt; quo vero animo domum redierint, inde effici licet, quod bellum contra principes, a quibus die nocteque in iuribus suis interpellarentur omnique iniuria laederentur, diutius evitari non posse iudicaverunt.

Et profecto, cur cives caverent, satis caussae fuit. Ut enim omittam insidias, quas principes eis parabant, — ipse Wenceslaus, qualis esset animo, ostendit, quippe qui, missa promissione civitatibus paullo ante data, a. d. V. Kal. Mart. provincias Sueviae superioris et inferioris Leopoldo duce oppigneraret[1]). Non equidem nego, regem hoc modo ducem illum potentem ab antipapae partibus avocare voluisse; attamen haec agendi ratio et iniusta et ineptissima fuit. Nam non solum civitates, verum etiam Bavarorum dux, cui praefecturas illius terrae a Carolo IV traditas in tres annos paullo ante addixerat[2]), ius suum violatum existimavit, et rei naturae respondit, quod a. d. IV. Non. Iul. a. 1379 Bavariae duces cum civitatibus foedus pepigere contra unumquemque, qui foederis huius socios libertatibus, iuribus ac privilegiis eis datis privare vellet[3]). Palatini quoque principes, qui nescio an tandem intellexerint, quot quantaque ex suae familiae perpetua discordia cepissent damna, societatis illius erant participes. Quam ad rem haec quoque ratio eos deduxit, quod hoc fere tempore terras Palatinatus superioris Carolo IV pignori datas recuperare voluerunt[4]) atque atrioci

---

1) Dumont, corps universel et diplom. du droit des gens. II, 1. n. 97. cfr. Palacky p. 21. Lichnowsky, gesch. d. hauses Habsburg IV, p. 187.

2) Vischer regest. n. 126. 127.

3) ib. reg. 136. 137. cfr. p. 35. Gemeiner II, p. 191. Staelin III, p. 331. sq.

4) Häusser, gesch. d. rhein. Pfalz. I, p 163. 188. Buchner, gesch. v. Bayern, VI, p. 39. 108.

bello contra Adolfum Nassovium dimicantes[1]), ut civitates propensas sibi redderent, optarunt. — Iidem igitur, qui in comitiis civium societatem dirimere studebant, minime cum oppidis sese coniungere dubitant, ubi primum de ipsorum commodis servandis regisque auctoritate deminuenda agitur.

Quae cum ita essent, in rebus ecclesiasticis tantum Wenceslaus paullulum profecerat, civium autem animos sibi reddiderat diffidentes, ita ut cum nonnullis principibus foedus regi infestum[2]) pactum esset. — Sed ne in eis quidem, quae ad Urbani oboedientiam propagandam effecerat, acquiescere potuit nec voluit. Quare cum pridie Non. Sext. iterum comitia habenda indiceret[3]), id potissimum egit, ut Urbano plures conciliaret amicos. Neque huic consilio repugnare videtur, regem his comitiis simul foedus principes inter et civitates factum dirimere voluisse. Minime enim illius rationem habere non potuit, et ut vim quam habuit infringeret, cum Friderico et Leopoldo ducibus rem ita composuit, ut Bavarus in proximos tres annos, quod erat promissum, praefecturas illas teneret, hoc vero tempore peracto Leopoldus eas acciperet, at non iam ut pignora, verum ut munus imperiale[4]).

In re ecclesiastica Wenceslai opera et studio in hoc secundo concilio effectum illud quidem est, ut nonnulli principum et civitatium ad partes Urbani transirent[5]); in universum vero civitates, imprimis Suevicae, eadem ratione qua antea hac in quaestione diiudicanda sese habebant. Quarum societas cum adscita civitate Augustana corroborata esset[6]), aliasque brevi ad foedus accessuras sperari posset, iam ni-

---

1) Ioannis p. 693. Böhmer, fontes rer. germanic. IV. p. 375.

2) cfr. Vischer p. 34 sq. Höfler, Ruprecht von der Pfalz. p. 64. qui perperam hoc de foedere disputat.

3) R. T. A. n. 144.

4) Vischer p. 37. reg. n. 146 u. 153.

5) R. T. A. n. 145—148. cfr. p. 258.

6) St. Chr. IV. p. 64. cfr. p. 181.

hil desiderabatur, nisi ut a rege ac principibus foedera agnoscerentur et sancirentur: quod quo facilius obtinerent, pertinaciter a foedere Urbani caussa facto cives sese abstinebant.

Iam vero illo anno operam perdidere, neve in posterum efficerent, quod postulabant, principes concordes esse arteque inter se coniunctos necesse erat. Haec res electores eo minus effugere potuit, quod hoc ipso tempore equites quoque foedera inter se pepigerunt non solum ad civitatium, sed etiam principum defendendos impetus [1]). Itaque mense Ianuario a. 1380 electores Coloniensis, Trevirensis, Palatinus Wesaliae pactum iniere [2]), ut quae in papae gratiam cum rege convenerant, contra unumquemque, imprimis contra societates et Germanicas et externas tenerent atque servarent.

Quod quidem foedus cum parum Urbani caussae prodesset, quoniam sua imprimis commoda eo haud dubie spectavere electores, Wenceslaus, qui ut civitates Urbano conciliaret, nihil industriae remiserat [3]), ad comitia mense Apr. a. 1380 habenda convocavit [4]), „dorumb sulche sachen (scil. res ecclesiasticas) furbas anczugreiffen und genczliche zu enden.“ His comitiis propius rex quidem ad ea, quae voluit, assequenda accessit, cum rursus nonnullae civitates foedus ad Urbanum agnoscendum initum probarent, Suevicae vero civitates in eadem mente permansere [5]), qua antea fuerunt. Iam Wenceslaus principes quoque, qui antipapae adhaerebant, ad papae Romani partes adducere studuit. Qua ratione ad Austriae ducem reconciliandum usus esset, supra diximus [6]); tum ad Adolfi Nassovii gratias ineundas viam

---

1) Vischer p. 37. reg. 141. Staelin p. 332.

2) R. T. A. n. 152.

3) R. T. A. n. 153. cfr. p. XCV.

4) ib. n. 154. 155. cfr. p. 271. St. Chr. IV, 66.

5) R. T. A. n. 156. 157.

6) v. alias quae duci praestitae sunt gratias, Georgisch, reg. Chron. diplom. omnis aevi, II ad. a. 1379. 39. 57.

sibi patefecit. Etenim rex minime ignorabat, sedis Moguntinae res dubias quam celerrime esse disponendas; quo modo vero Ludovicus Misniensis competitorem removeret, intellegi non potuit. Quare Wenceslaus ad hoc schisma tollendum aliam viam ingressus est. Omissis eis, quae a. 1379 cum damno episcopi Spirensis de vectigalibus solvendis constituerat[1]), Adolfo hoc anno telonium erigere permittit iamque de fide operaque egregia ab episcopo regno praebita verba fecit[2]). Quare ne electores, praesertim Rupertum Palatinum, cuius infestissimus adversus Adolfum adhuc erat animus[3]), nimis offenderet, reliqua de vectigalibus exigendis statuta ex principum sententia constituit[4]) simulque, quae Rupertum inter et episcopum erat, discordiam componere studuit. Quod cum comitiis Norimbergae mense Ianuario a. 1381 habitis contigisset[5]), Rupertique intercessio in Adolfo ad sedem electoralem promovendo minus esset metuenda, in reliquis digerendis non admodum multae ac graves exstiterunt difficultates. Nam cum Adolfus ad suam tantum utilitatem servandam antipapae adhaereret, eo, quod Moguntiae archiepiscopus agnitus est, libenter ad Urbani partes se adduci passus est et iam foederi accessit[6]), quod in huius papae gratiam factum erat.

At Wenceslaus non in ea re acquievit, ut in Germaniae regno prō Urbano vires intenderet: etiam extra imperii fines illius res augere conatus est. Huc referendum est quod Wenceslai soror cum Angliae rege iniit matrimonium[7]).

---

1) R. T. A. n. 135. 140. — 2) ib. n. 159.

3) Ioannis I, p. 693, Lehmann, Speier. Chr. (ed. Fuchs) p. 741. Häusser I, p. 180.

4) R. T. A. n. 158.

5) ib. n. 172. 173. Böhmer, fontes IV. p. 373.

6) R. T. A. n. 162. 166—171. cfr. Remling, gesch. der bischöfe v. Speier, I, p, 658. Pelzel, I, p. 103.

7) Rymer, foedera etc. III, 2. 110 sq. Raynald a. 79. 40. Pelzel I, p. 83 sq. Pauli, gesch. v. Engl. IV, p. 540.

Quo modo regem papae Romano Richardum II propensum reddere voluisse, eo minus negari potest, quod ipsum Urbanum nuptiarum auctorem designat [1]), nec foedus cum Richardo factum ad aliud quidquam pertinuit, nisi ad schismaticos opprimendos. Neque ea, quae haec agendi ratio habuit, incommoda Wenceslaum impedivere, ne Urbani rebus consuleret. Nam et Adolfo in sedem electoralem promoto, — quare Ludovicus Misniensis obtinuit Magdeburgensem archiepiscopatum [2]), — et sororis, quae principi cuidam ex familia Misniensi iam erat sponsa [3]), matrimonio huius domus animum infensum sibi reddidit, id quod eo magis evitandum fuit, quia familia illa cum comitibus Palatinis et burggraviis Norimbergensibus affinitate amicitiaque erat coniuncta.

Illis igitur quae memoravimus studiis in singulis comitiis ad Urbani caussam adiuvandam collatis iam respondit, quod rex etiam expeditionem Romam suscipiendam animo secum volutavit, qua illius papae partes efficacissimum in modum corroborasset. Iam primis comitiis a. 1379 habitis haec res in deliberationem cecidisse videtur [4]), tantumque abfuit, ut Urbani ad expeditionem faciendam invitationes neglegerentur, ut Wenceslaus civitates iam ambiret, „dinst zu dune dem rich über berg [5]).“ Civitates vero prompto animo regis voluntati respondisse, haud dubie mecum negabit, qui consideraverit, quae illarum fuisset in quaestione ecclesiastica sese gerendi ratio. Neque Wenceslaus dubitare potuit, quin antea, quae erant in regno controversiae essent conciliandae ac pax publica confirmanda, quippe quae equitum conventiculis magnum in periculum vocata videretur [6]).

Itaque ad hoc negotium peragendum Wenceslaus in

---

1) Rymer l. c. p. 115.
2) Ioannis p. 687.
3) Pelzel I, p. 101. 110.
4) R. T. A. p. 226. cfr. Pelzel, Urkundenbuch n. 26.
5) R. T. A. n. 177. 2. n. 176.
6) Staelin p. 333.

comitiis Norimbergae initio a. 1381 habitis animum advertit. Non vero multum effecit. Sine ulla dubitatione etiam hac in quaestione de pace firmanda civitates, ut ipsarum societas probaretur, postulaverunt, quomodo rex in ea re acquiescere debuit, ut pacem publicam a. 1378 terris Rhenanis institutam in tres annos prolongaret [1]). Sed hoc modo ut omnes periculo se vacuos putarent, longissime aberat: Civitates quoque Rhenanae foedus inter se pangendum iam existimabant [2]).

Quod cum a. d. XIII Kal. Apr. a. 1381 factum esset [3]), neminem effugere potuit, societatem Suevicam brevi se cum Rhenana esse coniuncturam. Nam etiamsi foederis Rhenani prima caussa exstitere equitum inimicitiae, tamen aeque ac Suevicum etiam ad libertatem contra principes defendendam est conclusum [4]), quorum violentia civibus eo magis erat timenda, quo artius rex in dies cum illis sese coniungere videbatur.

Hunc vero civitatium modum agendi, quo nulla regis eiusque auctoritatis ratio habita est, Wenceslaus prorsus probare non potuit, nec solum quia tunc temporis principum favebat partibus, verum etiam quod civium foedera consiliis ipsius maxime oberant. Ad suam enim auctoritatem conservandam summa ope impedire debuit, ne eiusmodi societates, quae minime ad regni statum eiusque institutiones pertinerent, fierent. Deinde ne novo bello inter principes et cives, qui prospero quoque eventu superbiores adsumebant spiritus, exorto regnum dilaceraretur, omnibus viribus agendum erat, ut omnia imperii membra uno foedere ad pacem publicam regis auctoritate icto comprehenderentur. Nam quae adhuc

---

1) R. T. A. n. 165.

2) Schaab, gesch. d. rhein. staedtebund. I, p. 341. Lehmann p. 743. Vischer p. 36. cfr. R. T. A. n. 175.

3) l. l. c.

4) Vischer p. 68. Schaab I, p. 342.

in singulis regni partibus ad pacem servandam instituta erant foedera, parum idonea sese praebebant.

Wenceslaus ita sibi esse agendum, haud ignorabat ille quidem, at ne consilium exsequeretur, adhuc impeditus fuit difficultatibus, quae occurrere, cum totum regnum ad Urbani oboedientiam adducere vellet. Iam vero cum civitatium illae societates, quamvis, ne id fieret, summopere egisset[1]), firmum inter se pepigissent foedus[2]) (a. d. XV. Kal. Iul.), ita ut consilium universo regno pacis proclamandae nova in difficultate esset, Wenceslaus iam mens. Sept. 1381 comitiis Francofurti habitis[3]) summa ope ea, quam diximus, ratione regni statum tutum reddere studebat.

Ad principes quod attinet, ei regis consilio exsequendo impedimentum attulisse mihi non videntur, quippe erga quos Wenceslaus amicissimo adhuc fuerit animo. Eberhardus vero comes, qui pace illa a. 1378 cum oppidis facta non parvum ceperat incommodum, ut sibi reconciliaretur, rex edicto quodam, quod in urbium gratiam emiserat, irrito pronunciato operam dedit[4]). Itaque quod principes ad pacem publicam eum in modum, quem Wenceslaus proposuit[5]), faciendam proni fuere, non est cur miremur, praesertim si consideramus, condiciones, quas rex commendavit, cum omnino principum rebus maxime conduxisse, tum pace ex sententia Wenceslai pronunciata civitatum foedera principum infestissima dissoluta fuisse.

Non vere civitates eodem prompto animo ad regis consilium peragendum exstiterunt. Etenim quod, cum res

---

1) R. T. A. p. 306 nt.

2) Lehmann l. c. p, 746. Königshofen, die älteste teutsche chronik (ed. Schilter), p. 346. cfr. Vischer p. 38 sq. Schaab I, p. 342.

3) Haec comitia habita esse, probat Weizsäcker R. T. A. p. 309 sq.

4) R. T. A. n. 179. cfr. n. 119. nt. 1. — Edicto illo Wenceslaus vetuerat, castella, quae bello inter comitem et oppida gesto destructa essent, civitatibus non probantibus, reparari.

5) R. T. A. n. 180. cfr. p. 211 sq.

ecclesiae tractaretur, ut foedera ipsarum sancirentur postulabant, — qua de re interea per legatos cum rege egerant[1]), — de eo ne tum quidem destiterunt nec nisi hoc concesso de foedere pacis publicae caussae pangendo deliberare volebant. — Quae Wenceslaus fecerat propositiones hanc quaestionem astute callideque fugientes neque aperte foedera civium dissolvere nec probavere. Hoc vero civitatibus nequaquam satis fecit, quippe cum, quae potissimum optabant, ut lege ipsarum societates sancirentur, recusarentur. Foedus praeterea a rege propositum civium rebus parum favebat[2]). Itaque ut principes imitati ad regis sententiam civitates accederent, tantum abfuit, ut alias foederis ineundi condiciones proferrent, quae cum reliquis in rebus ipsorum commodis serviebant, tum claris verbis constituere, ut foedera antea inita servarentur neve ullo modo rescinderentur[3]).

Ideo igitur, quod civitates talia postulabant, foedus ad pacem per totum regnum tuendam factum non est. Wenceslaus enim sperare non potuit, eis quae cives voluere concessis pacem fore firmam, cum hoc modo foedus ad id efficiendum nullius fuisset momenti brevique esset turbatum. Nam paciscentium alii aliis iam societatibus, quae nihil ad commune foedus spectarent, fuissent coniuncti. Nec tamen consilium quod inierat statim rex abiecit: eodem anno legati eius in civitatium conventu Norimbergae habito hac de re egerunt[4]). At cum ne hic quidem cives cederent, infecta re domos abiere.

Haec omnia dum ad pacem regni conciliandam fiebant, Wenceslaus Urbani res augendas minime neglexit. Quem ut agnoscerent simulque ut schismaticos persequerentur, condicionibus quas tulerat pacis componendae etiam atque etiam

---

1) R. T. A. n. 182, 2.
2) cfr. ib. n. 180, 2, 10. 14.
3) ib. n. 181. cfr. p. 311.
4) R. T. A. n. 183—187. cf. p. 314.

eis, qui foederi essent accessuri, commendavit[1]), ita ut, si res prospere successisset, totum imperium, quippe quod foedere illo fuisset comprehensum, papae conciliasset. Hac quidem in re iam acquiescere debuit. Quomodo enim tunc expeditionem Romam suscipere potuit? Non solum ea, quae ad regni statum stabiliendum perficere voluit, ad irritum ceciderant, verum etiam brevi post pars regni atroci bello civitates inter et equites exorto vastata est[2]).

Itaque omnibus nervis agendum esse, ut pax firmaretur, in dies magis apparuit. Wenceslaus cum haud ignoraret, se nihil esse effecturum, nisi discordiae essent compositae, summopere equites cum civitatibus reconciliare studebat[3]). Ipse quidem operam perdidit; ubi vero primum Leopoldus dux ad inducias ineundas partes adduxit[4]), statim ad consilium pacis universo imperio pronunciandae eum redire videmus. Nam ipsius haud dubie iussu principes initio a. 1382 cum civibus de foedere pangendo egerunt[5]), eodem fere tempore, quo rex ipse cives per legatos ambiit[6]). At civitates victrices in pugnis contra equites acerrime pugnatis[7]) ad societatem suam neglegendam ne tunc quidem sunt adductae, idque eo minus, quo certius sperare poterant, foedera quae pepigerant novas adeptura vires. Nam equites, qui usque ad illud tempus hostes civium fuerant, paratos sese praebuerunt, cum illis inire societatem, a qua et Leopoldus Austriacus et Eberhardus Wirtembergensis, ut gratias civitatum captarent, minime abhorruere[8]).

Itaque cum Wenceslaus civium pertinacia iterum atque

1) R. T. A. n. 180, 2.

2) St. Chr. IV, p. 69 sq. Vischer p. 40. Staelin p. 335. cfr. Janssen, frankfurts reichscorrespondenz I, n. 9.

3) Janssen l. c. n. 3. 9.

4) St. Chr. IV, p. 71. cfr. Vischer p. 41. sq.

5) R. T. A. n. 200.

6) ib. n. 202. cfr. p. 334.

7) Vischer p. 41. Schaab I, p. 345.

8) Vischer p. 42. Staelin p. 336.

iterum spe sua deiectus iam novo sibi futurum impedimento foedus intellegeret, quod oppida cum equitibus erant facturi, aliam consilii sui perficiendi rationem inire constituit. A. d. VII. Id. Mart. a. 1382 electores Rhenanos permovit, ut foedus ad pacem servandam secum pangerent, quo principibus non modo magna concederentur commoda, sed etiam societates antea factae, quae foederi modo inito obessent, a rege dissolverentur [1]). Quod ad foedere civitatium spectasse, nemo iam non intelleget [2]). Iam vero si quaerimus, cur Wenceslaus, qui anno praeterito oppidis pactum proposuerit eis non admodum quidem utile, nec tamem ita eorum commodis alienum, subito civibus tam infesto animo se praebuerit foedusque inierit, quod fore ut cives probarent, sperare non potuit, — non temere mihi coniicere videor, regem principum tam manifeste captantem amicitiam civibus metum iniicere eosque sibi oboedientes reddere voluisse [3]). Nam quamvis magnae fuissent oppidorum opes, impetus principum regis auspiciis factos nullo modo sustinere potuerunt. Quare Wenceslai consiliis admodum serviebat, quod eodem fere tempore ad cives fama perlata est, principes contra eorum societatem foedus inter se fecisse [4]). Deinde Wenceslaus pace illa publica, quam principibus tantopere favisse diximus, haud bubie Leopoldum ducem, Eberhardum comitem, alios a consilio revocare studuit, quo ad foedus cum oppidis pangendum inclinarent, simulque, ne civium societates novas acciperent vires, ea re impedire voluit, quod oppida, quae cum reliquis nondum erant coniuncta, ad pacem modo institutam accedere iussit [5]): qua re inter civitates ipsas odia ac dissidia fuissent concitata.

Quod si Wenceslaus se consecuturum speravit, maxi-

---

1) R. T. A. n. 191.

2) ib. p. 313. 332. vorw. XCVI.

3) Huius foederis postea nullo im verbo mentio fit.

4) R. T. A. p. 336 nt. 2.

5) ib. n. 192. 193.

mo in errore versabatur. Duci Austriaco et Eberhardo civitatium amicitia tunc temporis quam maxime erat requirenda, atque cum a. d. V. Id. Apr. cives cum nobilitati sese coniunxissent, libentissime huic societati accessere [1]). Illud quoque consilium ad irritum cecidit, quo rex ipsas civitates in duas partes dividere voluit. Nam cum comitiis menss. Iun. et Iul. a. 1382 Francofurti habitis [2]) pax publica instituenda denuo venisset in deliberationes, eo, quod rex principibus tantopere favebat, illud tantum effectum est, ut oppida, quae iam nullius partis erant, missis eis, quae rex proposuerat, ad reliquarum civitatium societatem se adiungerent [3]), cuius opes, multis ex nobilium ordine receptis [4]), in dies crescebant.

Quae cum ita essent, civitates aequiore iam animo ferre potuerunt, quod Wenceslaus cum principibus sentiebat. Neque plus rex effecit m. Sext. a. 1382, quo cum civitatibus Norimbergae de pace regni tuenda egit, quamquam ad magnam civium negotiantium utilitatem rem numariam constituere incepit [5]). Quin etiam civitates eodem tempore, ut principum insidias melius propulsarent [6]) faciliusque perficerent, ut foedera sua sancirentur, firmiorem reddidere societatem. Iam a. d. VIII. Id. Iun. a. 1382 civitates Rhenanae foedus usque ad a. d. VIII. Kal. Iul. a. 1392 renovarant [7]). Quod exemplum cum a. d. IV Kal. Oct. Suevicae iam essent secutae [8]), Idibus Oct. utriusque foederis coniunctio usque ad a. 1391 pacta est [9]). Qua in re Vischer optime

1) Dumont n. 122. Sattler, gesch. d. Herzogthums Wirtemb. unt. d. graven. I. beil. n. 171, 172. Janssen n. 11. cfr. Vischer p. 42. Staelin p. 336.

2) R. T. A. n. 188, 189. cfr. p. 331.

3) ib. n. 194—196. Vischer, reg. n. 181, 187, 188.

4) ib. p. 332. Haeberlin IV, p. 99.

5) ib. n. 201, 203, 8. St. Chr. I, p. 224.

6) ib. n. 195. Janssen n. 18.

7) Schaab II, n. 211.

8) Vischer p. 194. urkunde n. 3.

9) Schaab II, n. 216. Vischer p. 50.

observat, Sueviae civitates foedus suum ita renovasse, quasi ad pacem publicam servandam esset factum, eo haud dubie consilio, ut, si dissolvi societatem iuberet, regi demonstrare possent, nihil aliud suum foedus spectare ac societatem ab ipso cum principibus factam[1]).

Atque cur civitates foedera magis magisque confirmarent, eo graviores habuere caussas, quod pactio a. d. V. Id April a. 1382 cum equitibus, Leopoldo, Eberhardo facta non adeo se praeberet firmam, aliis paciscentium alia re expediente. Itaque Austriae dux, cui auctumno a. 1382, sicut fuit constitutum, Sueviae praefecturae traditae sunt[2]), iam m. Dec. cum Bavaris ducibus foedus iniit ad civitatium defendendum impetum; atque Eberhardus civibus non adeo propensus esse potuit, quia illi plures in dies subditos eius in civitatem receperunt[3]).

Quodsi civitates potissimum fuere, quae, ne pax firma fieret, impediebant, maximo in errore versaremur, si principes quietis publicae curam habuisse existimaremus. Nimirum electores cum rege aliquoties ad pacem conservandam se coniunxerant. At hoc ipso tempore archiepiscopus Moguntinus, cui pacis propagandae cura tradita erat[4]), bellum contra Landgravium Hassiae paravit[5]). Et dum Fridericus Coloniensis, qui cum civitate Coloniensi litibus semper erat implicatus[6]), foedus cum Adolfo contra Hassiam iniit[7]), Bavarorum dux acerrime contra archiepiscopum Salisburgensem bellum gessit[8]). Nec electorum foedus, quod supra memoravi contra civium societatem pactum[9]), pacis studium probat.

---

1) cfr. Vischer l. c. R. T. A. n. 191, 36.

2) Lichnowsky IV, reg. 1704. 1801.

3) Vischer p. 49.

4) R. T. A. n. 192.

5) Rommel, gesch. v. Hessen, II, p. 208 sq. cfr. R. T. A. n. 172, 13.

6) Ennen, gesch. d. stadt Cöln, II, p. 739, 754.

7) Rommel p. 214.

8) Buchner VI, p. 109.

9) R. T. A. p. 336, nt. 2.

Quae cum ita essent, Wenceslaus, se omnem operam perdidisse existimare debuit. Civitates neque foedere regem inter et principes pacto perterritae, neque re numaria constituta conciliatae erant; principum vero, eis neglectis, quae cum rege constituerant, suis quisque commodis serviebat. Iam perspectum erat, una tantum ratione regni statum emendari posse, et ea quidem, ut omnia imperii membra ad unum idemque foedus pacis caussa faciendum accederent.

Rex cum hoc haberet persuasum, consilium, quod dudum iam intenderat, exsequi rursus conatus est. Ac primum quidem comitiis Norimbergae mensibus Febr. et Mart. a. 1383 habitis [1]) civitates propensas reddere studuit. Iam primis vero, quos habuerunt, sermonibus sine dubio cognovit, nullo modo cives de postulatis esse decessuros.

Hoc agendi modo, quo oppida eadem semper pertinacia res suas defendebant, rex, qui regni statum ordinatum eo magis cupiebat, quia illo tempore expeditionem Romanam suscipere voluit [2]), intellegere debuit, pacem publicam quae a singulis incolis pari modo servaretur, sine longa mora fieri nequire, et ita tantum pacem per universum regnum servandam componi posse, ut civitatium societatem inter et principes pacisceretur.

Itaque Wenceslaus consilium, quod de pace firmanda ceperat, hunc in modum mutavit. At cum omnes fere civitates foederibus artissime inter se essent coniunctae, nonnulli tantum principum societatis quodam vinculo continebantur. Quare rex sperare non poterat, fore ut principes cum societate civitatum de foedere faciendo agerent, nisi antea concessisset, ut hi quoque sese coniungerent. Quod principum foedus Wenceslaus comitiis, quae commemoravi, Norimbergae habitis admisit; nam quae ibi pacta sunt ad pacem tuendam, re vera eo spectabant, ut inter principes

---

1) R. T. A. n. 204. — 2) v. infra.

conciliaretur societas[1]). Quare cum principum commoda servarentur, in universum tantum positum est, fore ut civitates quaedam ad foedus accederent, — item principes in foedera, quae cives fecerant, assumi poterant. — Minime autem civitates ad hanc principum societatem accessuras, iam eo veri erat similius, quod, si fecissent, non solum ipsarum societates dissolvissent, sed etiam principibus sese subiecissent[2]). Cui rerum rationi iam consentit, quod Wenceslaus principes tantum et nobiles, ut pacem illam acciperent, provocavit, quorum ut societas augeretur et compleretur, eo curavit, quod eos, si qui cum oppidis essent coniuncti vel alia uterentur necessitudine, his omissis ad foedus modo inter principes factum se adiungere iussit[3]). Eo denique minus dubitationis mihi datur, quin m. Mart. a. 1383 principum tantum societas sit facta[4]), quod foedus Norimbergae pactum sic cives semper interpretebantur, — cfr. pactiones Heidelbergae a. 1384, Mergentheimii a. 1387 factas — ita ut a. 1389, quo civitatium societates a rege dissolutae sunt, principes quoque suum foedus neglegerent.

Itaque principes quoque arte inter sese erant coniuncti, et Wenceslao iam id fuit agendum, ut, quae in regno exstiterunt, societates ad pacem publicam firmandam conciliaret. Ac primum quidem discordias inter nonullos civita-

---

1) R. T. A. n. 205. cfr. 222, 3. 215. p. 362. vorw. CI.

2) cfr. ib. n. 205. art. 16, 17, 19 et imprimis art. 24, quo erat constitutum, ut qui foederis essent participes in quattuor dividerentur partes. Civitates vero, si quae accederent, illi parti ascriberentur, „der sy nehst gelegen sein“. Quo modo civitatium societates disiectae fuissent, civesque in principum fidem sese permisissent. cfr. R. T. A. p. 363. Haeberlin p. 95.

3) R. T. A. n. 207.

4) cfr. ib. n. 208, 209, 211—215. Quomodo factum sit ut Basileae civitas illius foederis particeps esset, vd. R. T. A. n. 210, p. 364. Staelin p. 338. Vischer, zur gesch. des schwaeb. staedtebundes, Forschungen zu d. gesch. III, p. 12, II, reg. 211.

tium principumque exortas componere stüdebat[1]). At satis multa obstabant, ne consilium suum brevi perficeret.

Sine ulla dubitatione enim civitates, cum rex principum societatem publice sanxisset, eo pertinacius insistebant, ut ipsarum foedera item probarentur. Deinde ne principes quidem adeo pronos fuisse existimo ad foedus, quale Wenceslaus voluit, ineundum[2]). Omitto illud, quod inter omnes constat, principes illius aetatis potestati regis, quae regni statu emendato aucta fuisset, maxime invidisse; id unum commemoro, foedere quod Wenceslaūs intendebat facto futurum fuisse, ut civitates eodem quo principes haberentur loco, earumque societatis agnosceretur auctoritas. Nimis sane hac agendi ratione civibus concedi principes iudicabant nec tali in rerum condicione magni habebant, quod Wenceslaus ipsorum societatem probaverat ad eamque sese applicaverat. Nonne enim erat metuendum, ne rex brevi post etiam civium foedus agnosceret neve hoc modo praesidium contra principes sibi pararet?

Huic et civitatium et principum se gerendi modo sine dubio tribuendum est, quod rex ne mutatum quidem suum de pace confirmanda consilium comitiis Norimbergensibus perfecit. Quod eo molestius tulisse videtur, quod etiam atque etiam ab Urbano admonitus hoc ipso tempore iter Romam suscipere animo induxerat, quod fieri non potuit nisi regni pace conciliata ac confirmata.

Iam in comitiis, quae a. 1379 et a. 1381 habita sunt, Wenceslaum de hac expeditione cogitasse vidimus, qua papae auctoritas confirmaretur. Differre vero adhuc eam coactus est et bellis in regno coortis et infelici eventu, quem ipsius consilia de Germaniae statu stabiliendo capta habebant. Iam vero a. d. VIII Id. Iul. a. 1382 Urbanus VI denuo Wenceslaum, ut Romam veniret, vehementissime co-

---

1) R. T. A. n. 216–218.

2) ib. vorw. XCVII.

hortatus erat[1]), studia proferens ducis Andegavensis, quippe qui a Clemente VII incitatus sese accingeret ad regnum Neapolitanum a Ioanna regina sibi translatum suscipiendum[2]). Quod iterum papa fecit a. d. VIII Id. Sept. a. 1382[3]) et, ut illico subsidio veniret, a, d. XII Kal. Dec. per legatos regem admonuit[4]). Neque Italiae principes et ipse populus, cui magis quam Germanorum odiosa fuit Francogallorum dominatio, a Wenceslao precibus non petiere, ut ad servandam ecclesiae Italiaeque salutem adcurreret[5]).

Atque re vera Wenceslaus illorum optatis obsequi constituit. In litteris enim, quibus ad comitia illa a. 1383 Norimbergae habita convocavit, apertis verbis declarat: „wir meynen mit gotes hilfe gen Rome cziehen die Keyserlich crone do zu empfahen“ ..... „dovon begern wir von euch, das ir uns zu sulcher unser vart euwer hilfe tut[6]).“ Atque iam a. d. V. Kal. Febr. Leopoldus dux amicos Italicos certiores fecit, regem „ad partes Italiae immediate post pascha domini transiturum[7]).“ Accedit, quod litterae inter Wenceslaum et papam hoc tempore datae, certum expeditionis faciendae diem iam constitum esse, ostendunt[8]). Quin igitur Wenceslaus, etsi Urbanus nonnullos viros ei minime gratos ad sedes Germaniae episcopales promoverat[9]), re vera Romam proficiscendi consilium habuerit, ut imperatoris corona accepta ea, quae antea in illius papae gratiam edixerat, confirmaret, non iam quisquam dubitabit. Ad hanc

---

1) Pelzel I, urk. n. 32.

2) Raynald. ann. ad a. 1382. Theod. ad Niem, de schism. eccl. I, c. 21 sq. cfr. Georgisch reg. ad a. 1380, 26, 1382, 15. Leo, Gesch. von Italien IV, p. 688.

3) Pelzel I, urk. buch n. 33.

4) ib. n. 34.

5) Palacky III, 1. p. 27. nt. 34. cfr. Sickel, Vicariat der Visconti, p. 46.

6) R. T. A. n. 204. — 7) ib. n. 204. nt.

8) Pelzel urk. n. 35, 37. cfr. R. T. A. p. 361.

9) Pelzel I, p. 124. Palacky p. 26, 34.

vero rem peragendam, regni, ut diximus, statum quietum tutumque esse, ac principes civitatesque regi subvenire, necesse erat. Ad illud autem quod attinet, iam supra intelleximus, regis consilia civium principumque societates inter se conciliandi prosperum eventum non habuisse. Deinde in aprico est, civitates, quae nisi agnitis ipsarum foederibus regis edictum Urbani caussa prolatum probare noluerint, minime propensos sese praebuisse ad expeditionem Italicam, quae papae tantummodo emolumento esset. — Nec principes denique itineri faciendo adeo faventes sese praestitisse mihi videntur. Ducem nimirum Leopoldum, qui sperabat, fore ut regis opibus uti posset adversus hostes ipsius Italicos [1]), omnibus viribus id egisse consentaneum est, ut expeditio susciperetur. Reliqui vero, — quorum e numero Adolfus Nassovius aperto bello cum Hassia dimicavit [2]), et Fridericus Bavarus contra episcopum Salisburgensem belligerabat [3]), — in tali civitatium agendi ratione tempus opportunum non iudicaverint, quo copiis territoria nudare possent. Quare in foedere illo, quod cum rege fecerant, spopondere tantummodo se huic subsidio fore „hi disseit des Lampardischen gebirges" [4]).

Itaque illis quoque comitiis a. 1383 habitis Wenceslaus intellegeret necesse erat, expeditionem Romam fieri nondum posse, et huc sine dubio referendum est, quod a. d. III Non. Iul. a. 1383 Iodocum, Moraviae marchionem, vicarium generalem Italiae designavit [5]), ut ipse Germaniae partes ad concordiam revocare posset.

Ad hoc igitur efficiendum rex in Bohemiam profectus legatos cum civibus principibusque in conventu Wirzeburgae m. April. habito agere iussit [6]). Sed ne hic quidem res

---

1) R. T. A. n. 219, 220. nt. cfr. Lichnowsky IV, p. 218.

2) Rommel l. c. p. 214. cfr. R. T. A. n. 231.

3) Buchner VI, p. 109. — 4) R. T. A. n. 205.

5) Sickel, vicariat, p. 84 sq. cfr. p. 46. Pelzel urk. n. 36. p. 136. Palacky p. 28.

6) R. T. A. n. 221, 4. 222, 4, 5. 223.

confecta est, eam haud dubie ob caussam, quod et principes et cives eadem qua antea sese gesserant ratione.

Quae dum fiebant, legati a Franciae rege missi ad quaestionem ecclesiae animos retulerunt. Iam a. d. XV. Kal. Iul. Urbanus hac de legatione certior factus Wenceslaum admonuit, ut, aditu non dato, regno eam relegaret[1]). Et re vera legati ab antipapa missi videbantur, quippe quibus Clemens VII magnas pecunias attribuisset, quibus ipsius regisque Francogallorum rebus Wenceslai consiliarios conciliarent[2]).

Quae legatio, cum mense Augusto Pragam advenisset, Wenceslao tractatum tradidit, quo Clementem VII verum esse papam demonstraretur, rexque ab Urbani partibus avocaretur[3]). Nec hac occasione data Francogalli ab expeditione Romam suscipienda non dissuasisse videntur, quoniam Wenceslaus accepta ab Urbano corona magnopere huius papae auctoritatem confirmasset eiusque rerum semper fautor esse opportuit. Sed tota re errares, si Francogallorum opera putares expeditionem dilatam. Qui fuit Germaniae status ac principum civitatumque agendi ratio, ne statim iter fieret, ut vidimus, obstabant. Accedit, quod Wenceslaus iam antequam legati advenerunt, vicario constituto generali cogitationem de expeditione suscipienda ad tempus abiecerat.

Neque Francogallorum auctoritatem quidquam valuisse, inde colligere licet, quod eodem die, quo tractatum illud reddidere, Wenceslaus Iodocum designatum vicarium renunciavit huicque dedit potestates, quae Gallorum studiis neglectis, Urbani rebus serviebant[4]). Et iam eo minus dubitari potest, quin marchio ad Urbani res augendas sit constitutus vicarius, quo magis hoc modo Vicecomitum Mediolanensium potentia finiri videbatur, quorum in familia inimi-

1) Pelzel urk. n. 37.

2) R. T. A. p. 392. — 3) ib. n. 224.

4) ib. p. 394 sq.

citia contra curiam quasi hereditate propagabatur[1]). Quodsi Wenceslaus a foedere oblato Caroli VI non abhorrebat, hoc non fecit, nisi, ut Weizsaecker optime observat, urbanitatis caussa et decoris erga regem Franciae, affinem suum, servandi[2]). Quam ipsam ob caussam Wenceslaus, reiectis infestis Urbano sollicitationibus, per legatos revertentes Carolum certiorem fecit, se „infra hinc et festum nativitatis" cum regni principibus suoque fratre de componendo schismate esse deliberaturum, „quidquid autem actum fuerit," per legatos mittendos nunciaturum[3]).

Atque re vera rex hoc ipso anno comitia Norimbergae iterum habuit (mensib. Sept. et Oct.)[4]), eo quidem, ut videtur, commotus, quod regni partes nondum erant reconciliatae. Praeterea autem fama percrebuerat, Wenceslaum Francogallorum probasse sententias et accepisse, quod mendacium optime comitiis habitis refellere ac coarguere potuit[5]). Hoc ut fieret, litteras ad regni episcopos Norimbergae scriptas misit, quibus se in fide et reverentia erga Urbanum usque ad finem vitae perseveraturum profitetur[6]); quam longe abfuerit, ut a papa Romano deficeret, modus probat ac ratio, qua rex, ne antipapae amici ad sedes episcopales vel alios honores in regno promoverentur, impedire studuit[7]). At si Wenceslaus contra Leopoldum ducem, qui ab antipapae stabat partibus, severitate non utebatur, imo tradita brevi ante praefectura Augustana commodis illius serviebat[8]), hoc inde explicandum est, quod rex a. 1383,

---

1) cfr. Sickel l. c. p. 46. 10 sq. 33 sq.

2) R. T. A. p. 396. Pelzel urk. n. 38.

3) Epistulam, quam Palacky (Formelbuch. II, n. 85.) affert, Weizsaecker optimo iure ad hoc annum referre mihi videtur. R. T. A. p. 395.

4) R. T. A. p. 392. vorw. CI.

5) Pelzel I, p. 142.

6) R. T. A. n. 226. cfr. p. 396.

7) ib. n. 225, 227.

8) Vischer II, reg. n. 198.

quo de expeditione Romana cogitabat, ducem amicum sibi reddere debuit, nisi iam in confinio Germaniae Italiaeque Leopoldi infesta agendi ratione obstaculum sibi parare voluit; praeterea bene sperare potuit, fore ut hoc modo illum a partibus papae Avenionensis avocaret.

Ceteroquin his quoque comitiis quaestionis pacis publicae faciendae ratio est habita. Iam ante regis adventum inter principes et civitates actum erat [1]), ut dissidia, si quae essent, componerent itaque quasi fundamentum pacis iacerent. Ad quod peragendum meliore iam loco quam antehac civitates collocatae esse videntur, cum aeque ac principes per societatum suarum oratores de condicionibus conferre potuerint, — quomodo re earum foedera erant sancita [2]). Atque hoc, nisi fallor, probat, quomodo principes paullatim civibus concesserint postulata, ita ut anno insequenti utriusque partis coniunctio, ad quam rex intendebat, fieri posset in conventu Heidelbergensi, — ubi iterum oratores societatum tantum et civium et principum aderant. — Comitiis vero menss. Sept. et Oct. a. 1383 habitis Wenceslaus haud dubie operam navabat, ut hoc foedus societatum, quae in regno erant, quam celerrime fieret, atque ad pactionem, quam hoc anno cum principibus de Iudaeorum divitiis fecit [3]), cum reliquis caussis haec quoque ratio eum deduxisse videtur, quod principes plane consilio suo pacis firmandae conciliare voluit.

Quodsi intellegimus, regem propius accessisse, quo iam dudum intendebat, maximo tamen in errore versares, si inde colligeres, veteres inimicitias et odia, quae civibus cum principibus erant, fuisse sublata, electoresque regi morem gessisse, quod statum regni miserrimum tandem aliquando cognovissent. Nec enim principes aequi bonique facere potuere illud, quod civitatium societas pro potestate

---

1) R. T. A. n. 232. cfr. p. 397.

2) ib. vorw. CI. — 3) ib. n. 233.

legitima a rege habita est, — quae fuit consequentia foederis illius, quod Wenceslaus fieri voluit. — Etenim ubi primum civium societas erat agnita, metuendum erat, ne civitates, quae sive regis sive principum auctoritatem respicientes cum reliquis nondum essent coniunctae, diutius non cunctarentur, civiumque societas in dies maiores adipisceretur vires. Praeterea foedera oppidorum agnoscere idem fuit, ac civium principumque iura et auctoritates exaequare; eo enim civitates foederibus suis intendebant. Aegerrime igitur principes Wenceslai consilium de regni partibus consociandis ferre necesse erat, potissimumque eos ad illud accipiendum metus haud dubie commovit, ne rex, si diutius respuerent, cum oppidis solis, ut antea cum ipsis fecerat, ageret neve foedus quoddam etiam cum civitatibus pangeret.

Luculentissimum vero argumentum, principes vetus in cives habuisse odium imprimisque eorum societatem invisam fuisse ac molestam, foedus exstitit, quod initum accepimus paullo ante pactionem Heidelbergensem factam, quo civitates — nam ad earum societatem maxime pertinebat, — adeo perterritae sunt, ut, quantum poterant, bellum iam pararent [1]. Sine dubio principibus foedus m. Mart. a. 1383 initum non satisfecit; quare artius sese coniungunt et iam deliberant, quomodo civitates opprimi possint.

Neque deest argumentum grave, Wenceslaum civitatibus, ut videbatur, obsecutum maximam incurrisse in offensionem principum. Nam firmum foedus cum principibus regem a. d. X. Kal. April. a. 1383 pepigisse, nobis legentibus insequenti iam anno prima occurunt vestigia illius rei, quod electores de Wenceslao a regno amovendo cogitarunt.

Non. enim Februar. a. 1384 — antequam igitur civitates inter et principes foedus est factum — Henricus Welder, clericus Moguntinus, ad amicum quendam has misit litteras [2]: „. . . und wisse, das ich in grosser heime-

1) R. T. A. n. 237—239. cfr. p. 421.

2) ib. n 236. Janssen, R. C. I. n. 37 nt.

likeit virnomen han alz von viranderunge am riche wegin von eczlichin herren den fursten zu tunde, und wullen einen kung in Dutsche lande han. und sint frunde uz Nurberg hie und weren vaste irschrocken und sagent „daz wirt stosse gebin und uns stedtin nu vaste schedelich sint". und meinent, iz kome von dem der nu nit hie is [1]) und eczwas swach am libe, iedoch alliz ergert. und sagent ouch „is is des augenknippers schult" [2]), und sint hertechlich verschrocken. und wullent nache Beheim schicken zum kung . . . Ac veram quidem caussam, cur electores hoc iam tempore Wenceslaum regno spoliare voluerint, his litteris minime allatam existimo. Nam id, quod Wenceslaus non semper in Germania commoratus est neque ibi sedem habuit, ad eiusmodi propositum principes adducere nequivit, quippe cum rex iterum atque iterum in regnum ad comitia habenda advenisset, eiusque reditus quotidie exspectaretur, quoniam non iam contigerat, ut principes cum oppidis conciliarentur. Neque quaestionem ecclesiasticam, qua in tractanda regem Francogallis nimis indulsisse accusavissent, caussam illius principum foederis fuisse censeo. Vidimus enim, Wenceslaum, quae Galli proposuerant, omnino reiecisse; praeterea autem, cum principum haec coniuratio cohaerere videretur cum foedere ipsorum contra civitates eodem fere tempore facto, haud dubie utriusque eidem principes erant participes: et Leopoldus igitur Austriacus

---

1) Sine dubio Locher, d. rechtsverfahren bei d. absetzung Wenzels (Münch. hist. jahrb. 1865), verba „der nu nit hie is" . . . male ad regem refert p. 114. Caussam enim non video, cur „hie" significet Germaniam aliterque sit explicandum, quam „hie" praecedens („u. sint frunde uz N. hie") quod manifeste ad locum, quo litterae scriptae sunt, pertinet, i. e. Moguntiam. — Verbis „der nu nit hie is . . ." significatur Adolfus Nassovius (cfr. Janssen I, n. 37 nt.). Qui fuerit erga hunc civium animus, vide ib. n. 18, R. T. A. n. 195.

2) Haec verba ad Rupertum Palatinum referenda videntur. cfr. Janssen l. c.

et Adolfus Nassovius, quorum alter adhuc a Clementis VII partibus stabat, alter eius assecla per longum tempus fuerat. — Atque ut principum consilia illustremus, ante omnia respiciamus necesse est modum ac rationem Wenceslai electionis, quae magnis promissionibus a Carolo IV factis re vera electoribus invitis evenerit; cuius illos paullo post eo magis poenitere debuerit quia rex adversus civitatum societatem nihil suscepit, — quae ad foedera Urbani gratia facta et ad pacem firmandam accedere nollent, — quin etiam aliam rationem civibus gratam tum sequebatur, cum eorum societates principum foederibus aequare vellent. Quodsi igitur consideramus, et electionem Wenceslai quasi invitis principibus factam, et nobilium exacerbationem propter regis studia erga civitates in dies crevisse, nec non animadvertimus ambitionem illam familarum Wittelsbachiae ac Nassoviae, quae non iam erant oblitae, totius Germaniae se tenuisse principatum, — iam satis multae caussae exstitisse videntur conspirationis principum, inter quos Rupertus Palatinus et Adolfus Nassovius primas agebant partes.

Atque tali in rerum condicione consilium regni partes inter se conciliandi Wenceslaus conatus est exsequi. Iam mense Maio a. 1384 legatis regis praesentibus in principum ac civium disputatione res versabatur[1]; nulla vero de Wenceslai adventu erat fama, imo omnes iudicabant, fore ut rex per legatos foedus pangendum curaret[2]. Quare si nihilominus ipsum Wenceslaum, legatione ex Bohemia reversa, quam principes et cives ad regi summam deliberationum communicandam obierant[3], in regnum profectum cognovimus[4], dubium esse nequit, cur iter in Germaniam acceleraverit. Sine ulla dubitatione Norimbergenses, qui interea ad civitatum societatem accesserant[5], quorumque oratores cum legatione, de qua diximus, in Bohemiam ab-

1) R. T. A. n. 242, 1. — 2) ib. n. 240.
3) ib. n. 242, 2. — 4) ib. l. c. n. 241.
5) St. Chr. I, p. 38. 133 sq.

ierant[1]), regem de principum conspiratione, ut sibi proposuerant[2]), certiorem fecerant. Wenceslao verò haud ignoranti, quo essent animo eletores erga familiam Lützelburgensem, permagni momenti existimandum erat, ut ipse in regnum profectus novum sibi pararet praesidium contra principes. Quomodo autem melius hoc efficere potuit, quam conciliando civitates et ipsas principum, ut vidimus, laqueis circumdatas?

Quae cum ita essent, Wenceslaus in comitiis Heidelbergensibus primum quidem id egit, ut civitatium cum principum societate tandem coniungeretur. Difficultates, quae iam tollendae erant, parvae fuisse videntür, ita ut a. d. IV Non. Iul. a. 1384 cives ac principes foedus ad pacem publicam servandam pepigerint[3]).

Ac primum quidem si civitates respicimus, admodum illae hac pactione profecere. Nec enim interdicta sunt ac dissoluta illarum foedera, neque geographica adhibita ratione oppida in partes divisa sunt; imo principes agnoverunt, agendum esse sibi cum civium societate, quam confirmare et augere liceret. Accedit, quod in quaestione de eis, qui principum imperio essent subiecti, in civitatem recipiendis rex in eo acquievit, quod cives polliciti sunt, curae sibi fore, ne ulla hac de re oriretur querela. Pactio denique illa in tres tantum annos erat facta, quo spatio interiecto, civitates foedus renunciare potuerunt, si hoc maiori ipsis esse commodo videretur. Itaque civium optatis pactionem Heidelbergensem respondisse, non est cur miremur[4]).

Atque ut principes transeamus, nescio an concessionem eis factam illud sit existimandum, quod civitatium sociatates in diplomate, quod de pactione Heidelbergensi

---

1) R. T. A. n. 242, 2.

2) ib. n. 236 . . . und wullent nache Beheim schicken zum „kung“.

3) ib. n. 246. St. Chr. IV, p. 74 sq. cfr. Haeberlin p. 98 sq.

4) ib. p. 423 sq. Gemeiner II. p. 216.

exstat, apertis verbis non vocatur, ita ut, si, quae Weizsaecker hac de re praeclare disserit, afferre licet, „die Anerkennung des Staedtebundes factisch eintrat, aber diese Anerkennung selbst nicht rechtlich anerkannt wurde.“ Itaque diploma illud a rege ipso nón est subscriptum, sed utraque paciscentium pars in suo quaeque scripto id tantum declarat „daz der Romsche Kunig . . . ein fruntlich stallunge gemachet und gesetzet hat“ [1]).

Wenceslaus denique ipse Heidelbergensi pactione aliquid profecit. Ipsius enim auctoritate foedus erat pactum, quod omnes regni ordines ad quietem servandam et confirmandam obstringeret. Quod vero civitatium societas lege non est sancita, etiam regis commodis serviebat. Ita enim non solum auctoritas regia magis est servata, verum etiam rationem rex habuit, qua cives sibi conciliare posset.

Iam vero si quaerimus, quam vim habuerit pactio illa ad pacem publicam firmandam, haec sententia, specie tantum Heidelbergae regni partes coniunctas fuisse, non egebit disputatione, si meminimus, principes paullo ante cum ad civitates impugnandas tum ad Wenceslaum de regno amovendum foedera iniisse. Sicut ante pactionem illam factam civitates, quarum societas maiores semper accepit vires [2]), principibus maxime diffidebant; praesertim vero ratio, quae eas inter et Leopoldum ducem intercedebat, haudquaquam amica fuit [3]). Sane quidem de discordia componenda comitiis Heidelbergensibus agebatur [4]), minime tamen res diiudicata est. Wenceslaus, ut videtur, in potentem ducem noluit animadvertere, veritus, ne is, qui antipapae partes sequi audebat, in pacto quoque Heidelbergensi faciendo ad suum ageret arbitrium.

Comitiis habitis, Wenceslaus cum ipse Luxemburgam

1) cfr. R. T. A. n. 244—246, 248. p. 423. vorw. p. CII.
2) Vischer II, reg. n. 210—212, 227.
3) ib. p. 54. III, p. 13 sq.
4) R. T. A. n. 249 sq.

proficisceretur, ubi defuncto avunculo, Wenceslao duce, hereditatem acciperet [1]), consiliariis commendavit dissensus componendos [2]).

Sed pace pronunciata principes non oonfisos esse, conventus probavit, quem rex eodem anno Confluentibus cum nonnullis civitatium ac principibus habuit. Quo cum Heidelbergensis pactionis articulus quidem esset illustratus [3]), foedus, quod ad pacem in Guestphalica provincia servandam erat pactum, confirmatum est [4]), quamquam pactione illa inita supervacaneum esse debuit. Sine dubio principes vetera sua foedera propter infirmitatem earum, quae modo facta erant, omittere nolebant.

Wenceslaus in Germaniam transeundi ipseque regni partes inter se cónciliandi consilium, ut supra commemoravi, cepit eam potissime ob caussam, quia contra principum conspirationes praesidium sibi parare voluit. Itaque cum in comitiis Heidelbergensibus idoneam occasionem, principibus praesentibus, non invenisset, brevi post cum civitatibus Suevicis per consiliarios conferri iussit [5]), ipse vero post conventum Confluentibus habitum Moguntiam se contulit [6]), ut cúm civitatibus Rhenanis ac Wetterauensibus consilia iniret. Res, de qua agebatur, claris illa quidem verbis non commemoratur, sed in rationibus, quae cives de legationum sumptibus confecere, annotatum est, conventus illos habitos esse „umb die sache alse unser herre der Konig an den steden begerthe eine einmudekeite zuschen ime und den steden." Eodem deinde de regis postulato in civium concilio Spirae ha-

1) Pelzel I, p. 154, 156. Haeberlin p. 101. Palacky p. 37.
2) R. T. A. n. 250, 1.
3) ib. n. 253. Pelzel p. 159.
4) ib. n. 254. cfr. p. 427.
5) ib. n. 256. — 6) ib. 255.

bito disputatur[1]), neque in errorem delabemur, si, quam rex postulavit, concordiam eo spectasse iudicamus, ut civitates eadem cum ipso contra principes sentirent. Wenceslaus vero utrum tunc iam eo, quo intendit, pervenerit necne, quaestio est; id tantum certum est, inde ab hoc tempore regem commutasse rationem suam politicam in gratiam civium.

Quae dum rex ad regnum pacandum suamque salutem muniendam perfecit, nihil, quo Urbani papae augeret res, omisit. Itaque a. d. XIX Kal. Ian. a. 1385 ex urbe Moguntina comitem Sabaudiae exhortatus est, ut in papae Romani partes transiret[2]). Aliaene deliberationes de re ecclesiae hoc anno factae sint, quamvis verisimile sit, dici non potest: illa autem exhortatio manifeste ostendit, ne legationem quidem francogallicam, cuius hoc tempore fit mentio[3]), Wenceslai sententiam convertisse. Iam vero in his suae erga papam legitimum pietatis documentis acquiescere debuit. Nam principes, ut vidimus, in rebus tantum Germaniae se auxilium praebituros promiserant; civium vero subsidia, principum contra societatem coniunctione cognita, non poterant exspectari, etiamsi regis melior tunc cum eis fuit condicio. Praeterea pactione Heidelbergensi pax minime erat firmata.

Quin etiam hoc ipso fere tempore civitates infesta ratione permotae, quae inter eas et Leopoldum intercedebat, novos quaesivere socios, quos nactae sunt foederatos Helvetios. Quod vero cum his a d. IX. Kal. Mart. a. 1385 fecere foedus[4]), satis dilucide ostenderunt, nihil se tribuere pactioni Heidelbergensi; neque quisquam esse potuit, qui nesciret, contra Leopoldum, qui pactionis esset particeps, foedus illud esse initum[5]).

Quo modo factum est, ut bellum civitates inter et

---

1) R. T. A. n. 255, 3.

2) ib. 253, nt. 1. — 3) ib. n. 255, 2.

4) Dumont II, 1, n. 139. Vischer II, reg. 234.

5) Vischer l. c. p. 55 sq. III, p. 14. Staelin III, p. 338. Haeberlin IV, p. 102 sq.

principes oriturum in dies magis magisque instaret. Atque hoc in rerum statu permagni civibus fuit momenti, quod rex ad eorum rationes arte se adiungere videbatur.

Quod si in conciliis civitatum, quae comitia Heidelbergensia secuta sunt, clam atque occulte fiebat, conventus Ulmensis (m. Iunio a. 1385)[1]) omnibus manifestavit, quo regis inclinaret animus. — Ut civium commercium bene fieret, ante omnia res numaria erat constituenda, id quod principibus parvi erat momenti, quin etiam hi rebus numariis non dispositis summa habuere emolumenta[2]). Wenceslaus igitur, cum perspexisset, civitatibus nihil fore optatius, quam ut res numaria ordinaretur, iam a. d. V. Id. Sext. a. 1382, — illo tempore, quo cives ad foedus pacis publicae caussa faciendum adducere voluit, — illam constituere conatus est[3]). Annö vero 1385, quo apud civitates praesidium contra principum insidias sibi parare voluit, id quod inceperat rursus excepit et mense Iulio quae de re numaria decrevit magna ex utilitate civium fuerunt[4]). Item eis, quae de divitiis Iudaeorum spoliandis hoc anno sunt constituta, cum oppidis iunxit consilia, ita ut, cum antea hac de re cum principibus, quos ad foedus cum societate civium ineundum commovere studebat, egisset minimeque vel parum tantum civitatium utilitates respexisset[5]), iam a. 1385 maxima ex Iudaeorum damno commoda ad oppida venirent[6]), quibus hoc modo copia est facta belli contra principes, quod vitari non iam poterat, comparandi. — Quod Wenceslaus manifeste ad civium caussam animum inclinans spectaverit, evidentius iam

---

1) R. T. A. p. 461 sq.

2) cfr. l. c. — Droysen, gesch. d. preuss. politik. I, p. 202. — R. T. A. n. 261, nt. 3.

3) ib. n. 201.

4) ib. n. 259—267. cfr. p. 463 sq. St. Chr. I, p. 224 sq.

5) R. T. A. n. 233.

6) ib. n. 267 sq. — St. Chr. I, p. 111 sq. IV, p. 77. Gemeiner II, p. 216 sq. cfr. R. T. A. p. 467.

apparet, quam ut hac de re pluribus agam. Nec in diplomate, quo Landgravio de Leuchtenberg potestas rerum cum civibus gerendarum est data, tectis verbis significatum mihi videtur [1]). Potestas enim huic facta est a rege „zu reden und zu teidingen mit .... den steten ... sunderlich wie das sie in unserm dinste und bey uns bleiben." Si vero Wenceslaus conventui Ulmensi non ipse interfuit, hoc sine dubio eam praecipue ob caussam factum est, ut minus aperta esset principibus offensio.

Ceteroquin rex non omnia, quae voluit, illo conventu adsecutus est, cum civitates Rhenanae et Wetterauenses et de Iudaeorum divitiis diripiendis et de re numaria constituenda assensum cohiberent [2]). Suevicae tantum civitates regis consilium plane probarunt, quas inter et Wenceslaum amicitia eo artior fieri videbatur, cum mense Sextili a 1385 Austriae dux de Suevicis praefecturis decedere coactus, illaeque non potenti principi, sed viro nobili traditae essent, ita ut civitates duci nullo iam modo oboedientes ac praesto esse deberent [3]).

Eiusmodi agendi ratione cives maxima laetitia afficerentur necesse erat, praesertim cum condicio, quae eis cum Leopoldo fuit, magis magisque fieret infensior, nec solum dies belli incipiendi iam constitutus, verum etiam Helvetiorum subsidium rogatum esset [4]). Hoc quidem anno bellum nondum exarsit, pactione facta, quae usque ad a. d. XVIII Kal. Oct. servaretur, re vera autem hoc modo tempus tantum est datum, quo omnia ad bellum pararentur.

Iam vero si quaerimus, quam viam Wenceslaus ingressus sit ad haec pericula regno depellenda, officiorum neglegentissimum eum deprehendimus. Nescio an rex insolentiam superbiamque Leopoldi frangere voluerit ac civitates iam

---

1) R. T. A. n. 258.

2) ib. n. 283 sq. cfr. p. 472.

3) Vischer II. reg. n. 252. cfr. p. 59. III, p. 15. Staelin p. 328, 341.

4) Vischer l. l. c.

satis sibi adstrictas putaverit, ut impetum in principes, quorum e numero nonnulli cum civibus iam habuere simultates [1]), conari posset; — veri enim simile erat, fore ut reliqui principes cum Leopoldo facturi in bellum implicarentur, quod instabat. Utut vero res se habet, belli intestini calamitatem ut averteret, tantum abfuit, ut civitates, quantum potuit, contra ducem incitaret. Illis enim Kal. Sept. a. 1385 curam mandavit, ut antipapae amicis, — quorum in Germania Leopoldum scimus nobilissimum fuisse — imperii auctoritate bellum inferrent [2]).

Periculum, quod imminebat principibus, haud exiguum fuit. Civitates ad bellum suscipiendum iam diu praeparatae foedera sua confirmaverant, neque, Iudaeorum divitiis spoliatis, ingentes pecuniae deerant. Neque negari potest, principum arrogantia compressa regis potestatem magnum percepturam fuisse fructum. At necesse fuit, Wenceslaum ipsum strenue fortiterque agere, bellum contra principes administrare, ita ut civibus fuisset caput. Sed talia ad obeunda Wenceslaus non par erat: sicut per omne sui regni tempus etiam hoc momento, quo consilium semel captum acriter fuit perficiendum, industriam remisit; cum in omnibus Germaniae partibus bellum pararetur, in Bohemiae silvis rex venationibus tempus tribuit.

Quo modo evenit, ut nihil ullius momenti contra principes esset susceptum. Nam civitatibus parum prodesse videbatur illud, quod bellum regis quidem auspiciis, nullo vero modo ab eo adiutae incepissent, nec pugna cum cunictis principibus facillima fuit. Inde contigit, ut, — quamvis rex ad bellum incitasset, et dissidia civitates Suevicas inter et Leopoldum fierent maiora, ut illae auxilium sociorum Rhenanorum iam peterent [3]), — Germania ad tempus atroci bello brevi post omnes eius campos devastaturo nondum puniretur. Quin etiam civitates Rhenanae et Suevicae partes re-

1) Vischer p. 60.
2) R. T. A. n. 230. — 3) ib. n. 250.

conciliare studebant, et, quamquam discordia cum comite Wirtembergensi ducibusque Bavaris perduravere, dissidia cum Leopoldo recte cognoscenti, se Helvetiis et Germanicis civitatibus non parem esse, composita sunt[1]).

Itaque Wenceslai spes, fore ut principes ab civibus devincerentur, destituta videbatur, eiusque agendi ratio illud tantum effecisse, ut omnium principum arderent in eum maxima odia. Nec est mirandum, quod m. Febr a. 1386, cum regis exhortatione illa in dies magis instaret belli periculum, a principibus conventus habitos intellegimus[2]), neque magno in errore versari mihi videor, si hoc modo continuata esse statuo, quae a. 1384 de Wenceslai civitatiumque pernicie initia erant consilia.

Atque cum rex principes ita inter se coniunctos et civitates in pace componenda operam navantes videret, sibi persuaserit, non sine summo ipsius dammo a regni negotiis diutius sese abstinere, imo cum antea civitates ad arma sumenda vocasset, iam personam intercessoris sibi esse suscipiendam. Quare a. d. VI. Id. Iun. a. 1386, quo die in eo esse videbatur, ut discordiae Leopoldum inter et oppida prorsus componerentur, comitia Oppenheimii a. d. VIII. Kal. Sext. habenda nunciavit, „zu bestellen fride und gnade in dem reich[3]).“ Cui rei si rationem, qua se antea gesserat, comparas, credere vix poteris, regem serio nec non simulate pacis faciendae curam adhibuisse; nam si ita fuisset, illico comitia fuissent habenda. Probabilior igitur illa sententia mihi videtur, Wenceslaum hoc modo id tantum egisse, ut iniuria, quam Austriae duci intulerat, quantum fieri posset, oblivioni traderetur.

Sed antequam dies comitiis habendis constitutus illuxit, dissensiones, quae Leopoldo cum Helvetiis erant, adeo accreverant, ut bellum non iam vitari posset, atque a. d. VII Id.

---

1) Vischer II, reg. 257, 261. cfr. p. 61. III, p. 17. Staelin p. 340.
2) R. T. A. n. 287. — 3) ib. n. 288.

Iul. pugna illa Sempachia pugnata est, qua magna nobilitatis Germanicae strages est edita, Leopoldusque ipse ad exitium vocatus[1]).

Quod tempus haud dubie opportunissimum fuit, quo Wenceslaus principum deprimeret frangeretque potentiam ac superbiam. Cum vero rex nihil susciperet, quo nobilium clades ad suum commodum referretur, pugna illa atrocissima id tantum effecit, ut principum odium magis in dies contra regem arderet, consiliumque de illo a regno amovendo captum confirmaretur. Wenceslaus enim a. 1385 civitates Suevicas ad bellum contra Leopoldum, principum socium, excitaverat, neque quod illae „stille zu sitzen" constituere, regi tribuendum erat.

Attamen pugna Sempachia ita principum animos commoverat eorumque opes consumpserat, ut, ne illa clade accepta etiam in ipsorum territoriis cum civibus bello illigarentur, ad tempus inimicitias componere studerent. Qua re conventibus Heidelbergae et Mergenthemii habitis constitum est[2]), ut pactio Heidelbergensis integra servaretur, et quae essent inter cives ac principes dissidia arbitris adhibitis dirimerentur.

At iam res in eum locum deductae erant, ut pax firma inter partes fieri nequiret. Civitates post victoriam illam magis superbientes ipso illo tempore, quo Mergenthemii agebatur, bellum sibi parandum existimavere, ut ad quoscunque casus essent intsructae[3]). Deinde controversiae, quas cum Stephano, duce Bavarorum, habebant, ita sunt auctae, ut Sueviae civitates a Rhenanis auxilia iam peterent[4]). Sane quidem m. Nov. a. 1386 Augustae Vindelicōrum inter utram-

---

1) St. Chr. I, 39. IV, p. 78. Staelin p. 340. Haeberlin p. 108. Vischer p. 61 sq.

2) R.T.A. n. 289, 290, 292. cfr. p. 518.

3) Gemeiner II, p. 225 sq. Vischer III, p. 17.

4) R. T. A. n. 293. Janssen n. 63. Vischer II, p. 63.

que partem gratia est reconciliata[1]): sed haud ita multo post civium animi perterriti sunt fama dispersa societatis inter principes factae, quae dicta est „Faim“ et ad civium foedera spectare ferebatur[2]). Sine ulla dubitatione concitato illo tempore res aliter depictae sunt, quam revera erant, nec scio an unquam diiudicare possit, quae fuerit caussa civium sollicitudinis. Utut vero est, Wenceslaus novam nanctus est copiam propensum se civitatibus praebendi easque sibi conciliandi. — Exeunte anno 1384 foedus quod principes ad pacem provinciae Guestphalicae firmandam inierant, confirmaverat; cum vero civitates existimantes, principum coniunctionem, quam „Faim“ dictam modo commemoravimus, ad foedus illud pertinere, conquererentur ea, quae essent constituta, non servari, Wenceslaus primum quidem principes in pacis illius condicionibus manere iussit[3]). Quod cum eventum non haberet prosperum, mense Martio a. 1387 in conventu principum Wirzeburgae habito foedus de pace Guestphaliae servanda factum dissolvit[4]). Quae hoc in conventu singula pertractata sint, ignoramus. At mirum non est, quod Wenceslaus, postquam consilia nobilium gratias captans civitatium iterum perturbavit, iam has adiit, ut praesidio ipsi essent contra inimicos familiae Lützelburgensis.

Itaque paucis diebus post principum concilium Wirzeburgense regem civitatium conventui Norimbergae habito interfuisse novimus[5]). Atque satis feliciter contigit, ut hoc de conventu accuratius edocti simus. Iam enim eis quae exstant diplomatibus intellegere tibi licet, rerum statum, qui fuit mense Martio a. 1383, prorsus mutatum esse. Nam cum comitiis illis Norimbergensibus Wenceslaum cum prin-

---

1) R. T. A. n. 289. art. 9. Lehmann p. 763. Gemeiner l. c. St. Chr. IV, 80. nt. 2. R. T. A. n. 293. nt. 2. Vischer II, p. 64. nt. 1.

2) R. T. A. n. 292 sq. cfr. p. 519 sq.

3) ib. n. 296 sq.

4) ib. n. 298. cfr. p. 521. St. Chr. VI, p. 472.

5) ib. n. 305. cfr. p. 542.

cipibus foedere coniunctum videamus, a. 1387 civitates regi his verbis sese obstringunt: „.... ob daz wäre daz sich yemant, wer der were, gen im fur ainen Rom. Kunig uffwerffen wolte und denselben unsern herren von dem Kunigriche dringen wolte, daz wir im danne gen demselben getrulichen sullen und wellen geraten beholffen und bygestendig sin in disen Tutschen landen und hie diesseit des gebirges, ane all argenliste und geverde . . .[1]).“

Quo in foedere cum civibus faciendo Wenceslaum summa cum prudentia egisse, iam inde colligere licet, quod civitates illam tantum fidem promittere iussit, quam homagiis praestitis iureiurando adstrinxissent[2]). Invicem eius rei rex, iuribus ac privilegiis confirmatis, civibus auxilium contra unumquemque se praebiturum nec usquam oppida oppigneraturum promisit[3]). De civitatium vero societate vel eius confirmatione praestita in litteris nulla fecit verba; praesenti tantum sermone se, dum viveret, illam non revocaturum nec dissoluturum dixit. Hoc sine dubio sic instituit, ne nimis principum acueretur odium neve haberent litterarum fidem ad ipsum peccati contra auream bullam facti convincendum[4]). — Itaque etsi civitates Suevicae meliorem condicionem nanctae sunt, vel tunc eis recusata manebat societatis confirmatio quam tot per annos persecutae erant.

Etiam cum Rhenanis civitatibus ita conferre Wenceslaus voluit, neque tamen idem studium et obsequium invenit. Mense demum Iunio novem Rhenanae et Alsaticae civitates foedus cum rege pepigere, opulentissimae vero civitates Wormatiensis, Spirensis, Moguntina, Argentoratensis ne tum quidem manifeste ad regis partes sese applicavere, neque Weizsäcker iniuria coniicit, foedus quoque cum

1) R. T. A. n. 303. cfr. 307. Gemeiner II, p. 230. chron. Elwacense ad. a. 1387. (Pertz XII.)

2) „uuser huldung nachzuvolgende u. genug zu tun“. R. T. A. n. 307. — 3) ib. n. 301 sq.

4) cfr. Vischer II, p. 65.

novem illis oppidis ratum non esse factum, cum civitates brevi post ab eo recesserint[1]).

Haud meliore eventu Wenceslai consilium fuit matrimonio Sigismundi fratris cum Ioannis Galeazzonis filia inito artam sibi parandi necessitudinem cum Vicecomite, qui remoto avunculo Bernabone ad magnam pervenerat potestatem. Nam Galeazzo filiam spopondit comiti Touronensi et impotentis Germaniae regis facile irridere potuit minas et exacerbationem[2]).

Quae Wenceslai studia res suas augendi civitatesque sibi obstringendi principes effugere non potuerunt, quippe qui haud dubie aeque ac cives ubique emissarios habuissent. Hoc igitur modo de regis cum civitatibus inita coniunctione certiores facti brevi post Wenceslai profectionem Wirzeburgam convenere „von etlicher heimlicher sach wegen[3]).“ Nihil quidem praeter haec obscura verba oppidani speculatoris de conventus deliberationibus edocti sumus; sed hic quoque de regno Wenceslao eripiendo disputatum esse, satis probabile invenias, si odium iramque electorum respicias, quae conciliis illis Wirzeburgae et Norimbergae habitis maxime incitarentur necesse erat. Cuius sententiae argumentum accedit foedus, quod eodem fere tempore electores Rhenani Wesaliae fecerunt[4]). Etenim hi specie quidem quaestionem tractarunt, quid esset faciendum, si Wenceslaus imperium deponeret, atque hanc inierunt pactionem, ne quis sine omnium consensu regis cessionem probaret. Wenceslai igitur consilii, quod a. 1388 manifestavit, iam a. 1387 fama fuisse videtur. Sed hoc concesso, rex ita ut a. 1388 regiam dignitatem familiae suae certe servare volebat, atque ad hanc consilii clausulam haud dubie electorum pactio referenda est[5]).

---

1) R. T. T. n. 307. cfr. p. 545. Vischer p. 65.

2) Sickel, vicariat. p. 47.

3) R. T. A. n. 305, 4.

4) ib. n. 306. 5) ib. p. 544.

Wenceslaus cum m. Mart. a. 1387 cum singulis regni partibus convenisset, m. Iulio eiusdem anni Norimbergae comitia habuit, quibus et principes et civitates intererant[1]). Atque haec totius regni comitia iam initio a. 1387 convocare cogitaverat[2]), et quo facilius intellegamus, qua usus sit ratione politica illuc redeundum est.

Ut supra vidimus, rex ante pugnam Sempachiam, cum inimicitiae, quae Suevicis civitatibus cum Leopoldo duce fuerunt, paene fuissent compositae, personam conciliatoris suscipere voluit. Eadem ratione initio a. 1387, cum paullo ante principes Mergenthemii et Augustae Vindelicorum cum civibus de dirimendis dissidiis renovandaque pactione Heidelbergensi egissent, comitia habenda annunciavit[3]) eo, opinor, consilio, ut ipse, si partes re vera inter se conciliarentur, pacis auctor quam maxime videretur. Cum vero brevi post, rumore foederis illius „faim" quod dictum est allato, nova de principibus suspicione civitates moveri cognovisset, primum, quorsum res essent casurae, exspectare constituit. Itaque praetendens, Sigismundum fratrem Ungariae corona brevi ornatum iri, nec, ut videtur, seditiones in Bohemia exortas[4]) non commemorans, Heidelbergam misit qui dicerent, regem ad comitia quae indixerat venire non posse. Ut vero haberet rationem, qua, si res postularent, inter principes et civitates conciliaret, simul electoribus significat, se a. d. VIII Kal. Iul. in regnum esse venturum; ad hunc usque diem ipsi cum civibus agerent „uf einen lengern frid", i. e. de renovanda pactione Heidelbergensi[5]). Wenceslaum vero non magis atque ante pugnam Sempachiam inter regni partes aequam condicionem restituere voluisse, iam inde apparet, quod electores, quibus civitates ob foedus illud „faim" quod dictum est

1) R. T. A. n. 310.
2) ib. n. 309. cfr. p. 553. — 3) l. c
4) Palacky p. 48. — 5) R. T. A. n. 309.

magnopere diffidebant, res peragere iussit, cum, si ipsi non licuisset, ut antea per legatos omnia conficere potuisset. — Quare equidem censeo, initio a. 1387 Wenceslaum non cogitasse de regni ordinibus inter se reconciliandis, imo prius uti voluisse eorum discordiis, ut artum cum civibus inire posset foedus; quo confecto, pacem regni ei demum curae fuisse.

Sane licet conventu Ulmensi habito amicior fuerit regem inter et civitates necessitudo; foedus tamen inter eos nondum erat factum. Cuius ineundi cum aptam occasionem nactus esset eo tempore, quo rumor coniunctionis illius principum percrebuit, neque fratris, qui brevi post corona ornatus est[1]), neque seditionum Bohemiae habuit rationem, sed m. Mart. in Germaniam accurrit et, postquam dissoluto foedere ad pacem Guestphaliae servandam inito civium caussam defendit, Norimbergae artissime se cum civitatibus coniunxit. Qud cum neque in principum conventu Wirzeburgensi nec civium Norimbergensi de renovanda pactione Heidelbergensi actum sit, id quoque probat, regem hoc primo loco non spectasse. — Firmo autem illo cum civitatibus foedere facto, rex rursus ad pacem restituendam mentem advertens comitiis, quae memoravi, m. Iul. a. 1387 Norimbergae habitis operam dabat, ut pactio illa prorogaretur.

Quod antequam fieri posset, componerentur necesse erat dissidia, quae iam erant inter singulos dominos ac civitates. Praecipue cives cum comite Wirtembergensi ac ducibus Bavaris exercebant simultates. Quae ut dirimerentur, cum conventibus Norimbergae et Esslingiae habitis non contigisset[2]), res ad comitia posthac convocanda dilata est[3]). — Praeterea autem civitates Wenceslai consiliis exsequendis obstaculo fuisse videntur. Nam per litteras ex Bohemia allatas admoniti cives erant, ut regis consilia caverent:

1) Palacky III, 1, p. 45.
2) R. T. A. n. 311—313.
3) ib. n. 315, 316, 3.

„wan der herre wil mit nihte recht. er meint, daz er gerne sehe daz herren und stett zu nichte worden. so wer' gut daz man daz undirfure, daz er darunder zuschen zweien stukken nidersasse" [1]. Ratio, quam rex in re publica gerenda per proximos annos secutus erat, non eiusmodi fuit, ut huic nuntio fidem adimeret, neque civitates re vera regi confisas esse, foedus ostendit ab ipsis a. d. VIII. Kal. Sept. a. 1387 cum archiepiscopo Salisburgensi contra Bavarorum duces factum: positum enim est, Wenceslaum ducibus auxilium praebiturum [2]. Hoc quoque inde apparet, deliberationes m. Iul. in comitiis Norimbergensibus institutas minime idoneas fuisse ad animos de pace confirmandos. Nam foedus illud cum praelato Bavaris inimico tum tantum cuiusdam fuit ponderis, si bellum brevi exarsurum existimabatur [3]. Atque quod, ne hoc omittam, civitates finxere „daz die herren von Paygern . . . zu vycarien des Rom. richs gesetzt oder in daz empfolhen wurde yn Tutschen od. in Welschen landen, oder daz ir ainer oder mer zu pfleger des richs erwelt wurde . . ." [4] hoc manifeste declarat, electorum conspirationem contra familiam Lützelburgensium iam palam secreto esse narratam.

Quamvis igitur importunissima fuisset ratio, quae inter civitates et principes et regem intercedebat, tamen comitiis illis Norimbergensibus, pactio Heidelbergensis, si nondum renovata est, constitutum est, ut brevi post alia haberentur comitia, quibus discordiis compositis ageretur, quomodo partes in posterum sese haberent, i. e. num et qua ratione pactio renovaretur [5].

Wenceslaus autem non exspectavit, dum regni ordines iterum convenirent, sed cum ipse in Bohemiam abiret, in

1) R. T. A. n. 309.
2) Gemeiner II, p. 231. cfr. R. T. A. p. 355.
3) Vischer II, p. 65.
4) R. T. A. l. c. Vischer reg. n. 277. Staelin III, 342, nt. 2.
5) ib. n. 311, 312.

comitiis m. Oct. a. 1387 habitis per legatos eius negotia peracta sunt [1].

Ac primum quidem, uti convenerat, dissidia componere studuerunt; sed ne tunc quidem res bene successere, etsi animi minus exacerbati videbantur [2]. Deinde de renovanda et corrigenda pactione Heidelbergensi actum est. Aeque atque a. 1384 civitatium societas cum principibus foedere illo coniunctis, quod a. 1383 fecerant, conferunt; renovationem autem pactionis, quae Non. Nov. a. 1387 facta est, ex civitatum numero Suevicae tantum probarunt, cum Rhenanae iudicium suum cohiberent, eam haud dubie ob caussam, quod earum optatis de condicionibus quibusdam aut recipiendis aut omittendis responsum non erat [3]. — Nec Sueviae civitates ex pactione renovata magnam cepere laetitiam et utilitatem. Nam permulta, quae — sive ut impediretur, ne principum cum civium damno augeretur societas, sive ut ipsarum societatis servarentur commoda, — civitates nova pactione sanciri volebant, recepta non sunt aut alio derivata [4].

Itaque hac in quaestióne tractanda Suevicae civitates a Rhenanis discessere; neque eo minus exstitit separatio, quod pactione Mergentheimii commutata rationem, quae eis cum civitatibus Rhenanis esset, minime perturbatam voluerunt [5]. Hoc quam esset importunum, cum cives bene cognoscerent, iam exeunte m. Nov. a. 1387 de renovata pactione inter se iniere deliberationes [6]. Sed antequam consensus effectus esset, iam manifeste apparuit, pactionem Mergentheimii factam aeque atque Heidelbergensem nihil valere ad principum in civitates odium inveteratum exstinguendum.

---

1) R. T. A. n. 320. cfr. p. 573.

2) ib. n. 325, 323.

3) ib. n. 324. cfr. p. 573. Staelin p. 342. Vischer II, p. 66.

4) R. T. A. n. 321—324. cfr. p. 575. vorw. p. CIII.

5) ib. n. 324, art. 16.

6) ib. p. 581.

Nam paucis interpositis hebdomadis, iniuria a Friderico, Bavarorum duce, qui ipse „redder und tedinger“ fuerat nóvae pactionis[1]) archiepiscopo Salisburgensi illata[2]) pugnae quasi signum dedit. Civitates enim pati minime poterant, socio suo libertatem ereptam esse, idque eo minus, quia Bavari mercatoribus oppidanis spoliatis[3]) apperte ostendebant, tumultu illo Raitenhalsbachio etiam contra civitates bellum inceptum esse. Quare illico magnos belli faciunt apparatus iamque a. d. XVI Kal. Febr. a. 1388 ducibus bellum indicunt[4]). Comitis Palatini et Burggravii Norimbergensis studia reconciliandi irrita fuere, igni ferroque Bavarorum fines iam vastabantur[5]).

Tali rerum condicione maximi referebat, qualem se gereret Wenceslaus. Fridericus dux, cum sibi persuasum haberet, quanti esset momenti regem civium caussam non defendere, bello vix exorto, se regio arbitrio subiecturum nunciaverat simulque res descripserat perinde ac si archiepiscopus libertatem iam recuperasset, civibusque omnia ipsis privata reddita essent[6]). Quare Wenceslaus, qui huic descriptioni fidem haberet atque, ut diximus, facto cum oppidis foedere pacem servari vellet, per litteras a. d. IX. Kal. Febr. datas civitates admonuit, ut ab armis recederent ipsiusque arbitrium exspectarent[7]). A civitatibus autem de vero rerum statu edoctus iam a. d. VII. Id. Febr. litteras Friderico bellum denunciantes emisit[8]) civesque, ut pacem ruptam ulciscerentur, provocavit; simul paratum se

---

1) Janssen n. 69. R. T. A. p. 579.

2) St. Chr. I, p. 39. IV, p. 80. Koenigshoven p. 346. Vischer II, p. 94 sq. III, p. 20.

3) St. Chr. I, p. 40. Lehmann p. 756. Janssen n. 69. Vischer II, reg. n. 290. Buchner VI, p. 115.

4) Janssen n. 70. Gemeiner p. 236.

5) St. Chr. p. 40. Gemeiner l. c. Janssen n. 72.

6) Vischer III, p. 21.

7) St. Chr. I, p. 141.

8) ib. p. 142. Vischer III, p. 21.

praebuit, civitates copiis sublevare[1]), atque insequenti mense ipse in Palatinatum superiorem advenit[2]). — Ne vero rex belli fieret particeps, duces Bavarorum iterum simularunt se paratos esse ad pacem faciendam[3]). At cum Wenceslaus — ratus, fore ut comiti Palatino contingeret partium reconciliatio, ipsumque ad seditiones, quae in Bohemiae regno coortae erant[4]), sedandas animum advertere posse, — paullo post e Germania profectus esset, Bavari, se cum civibus diutus agere, opus non iam esse duxerunt. Itaque cum ea, quae antea erant constituta, non respicerent[5]), bellum renovatum est. Paullatim ceteri principes Bavarorum partes secuti sunt contra civitatium societatem omnibus invisam, pugnisque factis ad Döffingen et Wormatiam, opes civium iam inter se discordantium plane fractae sunt[6]).

Quas in calamitates cum civitates inciderent, Wenceslaus nihil fecit, quo earum condicio sublevaretur. Neque eo animo fuit, quo acie cum principibus dimicaret, nec fortiter graviterque auctoritate sua ad pacem componendam usus est, quamvis, omnium viribus exhaustis, facile res ea ratione disponere potuisset, quam suis regnique commodis ac saluti servituram existimasset. Iam taedebat regem perpetuae in regno discordiae; quem in modum et quam vim in eum exercuerit civitatium clades, illa re efficitur, quod tunc temporis imperio Germaniae se abdicare constituit.

Duo hac de re exstant diplomata. A. d. IV Non. Oct. a. 1388 Wenceslaus litteras edidit[7]), quibus Adolfo Moguntino promissiones fecit, ut archiepiscopus novum re-

---

1) cfr. Janssen n. 72. Lehmann 756.

2) Pelzel, urk. n. 60. I, p. 197. Palacky p. 50.

3) St. Chr. I, p. 40. IV, p. 82. Gemeiner II, p. 242.

4) Palacky p. 48. nt. 57.

5) Janssen n. 75. Vischer II, p. 98 sq. Staelin p. 343.

6) St. Chr. I, p. 41 sq. p. 144 sq. IV, p. 81 sq. I, p. 164. Vischer II, p. 99. III, p. 22.

7) Vischer II, reg. n. 315.

gem e familia Lützelburgensium eligeret, atque Rudolfus, Saxoniae elector, eodem fere tempore sese obstrinxit, eum se creaturum esse Lützelburgensium, quem Wenceslaus proposuisset[1]). — Quod consilium quin rex non simulaverit, vix dubtandum est; metus tantum, ut regia dignitas ipsius familiae servaretur, eum detinuit, neque id sine optimo iure. Noverat enim operam ac laborem, quem Carolus IV consumserat, ut coronam filio imponeretur, atque cum primis sui regni annis, quamvis summa ope niteretur, ut pacem firmaret, de electorum conspiratione edoctus esset, inimicum principum animum adversus Lützelburgenses illius rei primam caussam ducere debuit. Neque existimare potuit a. 1388 animos mutatos, foedere potius, quod cum civitatibus inierat, novas susceperat inimicitias. Omnia igitur, ut cautior esset, regem monebant, et quam recte de domus suae cum principibus condicione iudicaverit, Rhenanorum electorum agendi ratio ostendit.

Adolfus enim Nassovius a. d. III Kal. Nov. a. 1388 cum civitatibus Moguntina, Spirenti, Wormatiensi artissime se coniunxit[2]). Qua vero ratione archiepiscopus, — qui certe oblitus non iam erat, Carolum IV ipsius electioni Romae adversatum esse[3]), Wenceslaumque multos per annos ipsum non agnovisse, — licentia sibi data foedus cum illis civitatibus ineundi[4]) abusus sit, illa re cognoscitur, quod eas ad hanc adduxit promissionem, se nunquam, ne iussu quidem regis, Adolfo electori bellum esse facturas. Atque hoc in rerum condicione archiepiscopum minime in gratiam familiae Lützelburgensis postulavisse, ut civitates ad illum, quem ipse vel cum duobus vel cum pluribus electoribus crearet, regem agnoscendum sese obstringerent[5]), —

1) Pelzel, urk. n. 65.

2) Schaab II, n. 235-242.

3) Raynald ad. a. 1374.

4) Vischer II, reg. n. 316.

5) Schaab II, l. c.

vix est cur moneam. Neque ceteri Rhenani electores animum suum Lützelburgensibus minime amicum manifestare omiserint, quippe qui iam a. 1387, quo vix ferebatur Wenceslai consilium deponendi coronam convenissent, ne quis sine omnium consensu e Lützelburgensi familia novum eligeret regem, id quod, si tempus ac rationem, quo ita inter se constituere, respicias, idem invenias asque si regiam dignitatem Lützelburgensibus eripere decrevissent.

Sine ulla dubitatione hoc electorum contra domum suam odo Wenceslaus permotus est, ut, abdicationis consilio misso, porro susciperet regni negotia, quibus se imparem esse ipse haud ignoraret. Qua de re regnum Germanicum minime erat cur gratularetur. Nam rex, qui ipsius viribus diffidebat, tunc temporis boni laetique quidquam perficere nequivit atque in dies magis partibus factionibusque operam suam locaret necesse erat.

Iamque hoc Wenceslaus probavit. Nam principum et civitatium opibus consumptis de pace componenda agebatur, sed infecta re discessere [1]). Quare comitiis m. Maio a. 1389 Egerae habitis Wenceslaus ipse partium conciliationem agressus novam ille quidem in sex annos proclamavit pacem publicam, sed nullo modo hac in re peragenda civitatium caussam defendit, imo foedera, quae inter se pepigerant, legibus vetita dissolutaque esse edixit [2]). Licet principum quoque foedus a. 1383 initum diremtum sit, non tamen illi magnum hoc ceperunt incommodum [3]). Principes enim iam per se, praecipue post bellum finitum, artius coniuncti erant neque foedus illud non inierant, nisi ut et ipsi in pactione Heidelbergensi facienda pars essent legitime constituta. Tunc vero temporis, civitatibus singulis ad pacem

---

1) Vischer II, reg. 327 sq. cf. p. 104 sq.

2) St. Chr. II, p. 46. Dumont II, 1, p. 220. Janssen n. 77. Vischer reg. 332, 335.

3) St. Chr. l. c. Principes ad foedus suum omittendum parati erant, civitates hoc facere iussae sunt.

publicam servandam provocatis dissolutisque earum societatibus, nullius iam erat momenti. Sed hoc ipsum concedatur, ut quid detrimenti ceperint principes foedere illo dissoluto: eo, quod vetitae sunt societates civitatium, illud nancti sunt, quod tot per annos crebris conventiculis ac civium vexatione adsequi studuerant.

Iam vero si quaerimus, quid pace Egeriana effecerit Wenceslaus, negari id quidem nequit, regem tunc adsecutum, quae regni initio frustra petierat: foedus scilicet ad quietem publicam servandam, quo omnes regni ordines aequa ratione comprehenderentur: iam locum, quem debuit, supra partes factionesque occupavit. At magni hanc rem rex existimare potuit, qui anno superiori coronam deponere voluisset? Nonne si principum conspirationes contra domum suam factas respexit, ante omnia id ei erat agendum, ut firmum sibi pararet praesidium? Iam cognovimus, Wenceslaum salutis suae curam officiis de regni statu emendando non posthabuisse. — Atqui pace Egeriana sese ipse praesidio, quod modo apud civitates paraverat, privavit atque ut auctoritatem suam confirmaret, tantum abfuit, ut omissis civitatibus maxime imminueretur; omnes enim putarent necesse erat, victoriam a principibus reportatam effecisse, ut societates a rege dissolverentur. — Neque ita quae inter electores ac regem erat ratio mutari potuit. Nam — ne afferam, principes non eo tantum regi fuisse abalienatos, quod civium erat fautor, — Wenceslaus civitatium partes tum demum omisit, cum principes omnes suas opes in discrimen vocavissent, civitatesque inter sese discordes foedera, quae fecerant, servare vix potuissent. — Eam igitur ob caussam, quod Wenceslaus, quo modo contra civitates sese gessit, nimis adversatus est rationi politicae, qua inde ab a. 1384 erat usus, quod deinde commoda reiectis civium societatibus parata minime comparari potuerunt cum incommodis, quae inde cepit rex, — mea quidem ex sententia Wenceslaus, cum pacem Egerianam pro-

clamaret neque suo ipsius usus erat iudicio neque omnia diligenter circumspexerat, sed ad illam instituendam impulsus adductusque erat a principibus, quorum e numero Fridericus Bavarus, cum ipse in aulam regiam advenisset[1]), haud dubie astute callideque res suas egerat. Neque hac de re civitatibus ulla fuit dubitatio; legimus enim in annalibus civium: „... Ehe das iahr auskam, da ritt ihm Herzog Friederich so lang und viel nach, bis das er ihn überredet mit listen, das er auf seinen theil zu ihm und andern fürsten schlug" [2]). — Regnum vero regisque auctoritas ex pace illa fructus laetos capere minime poterant, quippe cum Wenceslaus brevi post Iudaeorum vexationibus in Bohemiam avocaretur[3]), unde mox turpissimae famae de facinoribus eius in Germaniam dilatae sunt.

Opportunum iam tempus ad consilia sua exsequenda electores adesse putaverint. Civitates enim exhaustae contra regem exacerbatae erant; ipse ille in Bohemiae regno occupatus minus in dies habuit auctoritatis.

Ita cum res se habuerint, haud scio an Wenceslao commode id ceciderit, quod a. 1390 eodem fere tempore Adolfus Nassovius et Rupertus Palatinus, i. e. principum coniuratorum capita, diem obierunt supremum[4]), neque in illius locum successit Nassovius quidam, sed Conradus de Weinsberg, vir, qui non immensa illa Adolfi ambitione affectus per omne regni sui spatium principum conspirationum particeps non fuisse videtur[5]). Item hoc tempore Cuno,

---

1) Haeberlin p. 152. Buchner p. 129. Vischer II, p. 104.

2) Lehmann p. 757. Gemeiner II, p. 260.

3) Palacky p. 54. Höfler p. 81 sq.

4) Ioannis I, p. 700. Remling, gesch. der bisch. v. Speier I, p. 670. Häusser I, p. 184.

5) Serarius p. 567. Ioannis I, p. 705. Conradus homo tranquillus et pacificus nominatur. cfr. St. Chr. IV, p. 95. Höfler p. 75, 117.

Trevirorum archiepiscopus, qui nunquam Lützelburgensibus admodum fuerat deditus, mortuus erat, cura quidem antea habita, ut familiae ipsius sedes electoralis servaretur[1]). At archiepiscopum Coloniensem et Ruperti Cunonisque successores consilia illa Wenceslao infesta, de quibus haud dubie edocti erant[2]), non abiecisse, foedus probat a. 1390 factum[3]), quo studiis, ut videtur, Iodoci marchionis de corona Germaniae adipiscenda[4]) permoti contra quemvis regnum, se invitis, affectantem auxilium sibi promittunt.

Interea novus quoque papa Romae creatus erat: Bonifacius IX[5]). Qui vix electus, cum, Italiae partes nondum reconciliatis, Ludovicus II. Andegavensis totum Neapolitanum regnum expugnaturus Romamque aggressurus esset[6]), a Wenceslao petiit, ut tandem aliquando expeditionem susciperet[7]). Huic autem incepto, quae regi tunc cum principibus civibusque fuit rationem item ut regni Germanici et Bohemici statum magis quam superioribus annis adversata esse, ita manifestum videtur, ut non egeat disputatione. Regem vero a papae Romani partibus minime recessisse, inde luculente efficitur, quod ad iter Romam faciendum admonitus Iodocum iterum vicarium generalem nominavit[8]). Atque licet haec marchionis designatio non item ut prior illa ad Mediolanensis comitis potestatem reprimendam spectaverit; imo Wenceslaus, qua erat in condi-

1) Goerz, reg. d. erzbisch. zu Trier, I, ad a. 1388. Gest. Trev. edd. Wyttenbach et Müller p. 289. Trithemius, chr. Hirsaug. II, p. 285.

2) Häusser I, p. 205. Goerz l. c.

3) Wenker, apparatus et instructus archivor. p. 413. Haeberlin p. 162.

4) Palacky p. 51.

5) Raynald. ad a. 1389.

6) ib. ad a. 1390. Theod. a Niem III. c. 13. Baluz. vit. Clem. VII. I, p. 525. Leo IV. 691. Hefele VI, p. 692.

7) Pelzel p. 226.

8) ib. urk. n. 70. cfr. p. 228. Sickel p. 48. nt.

cione, cum Galeazzone conferre voluit illumque principem potentem minime offendere studuit: attamen inde, quod positum est, bellum cum comite fieri posse, ancipitem semper inter regem et Galeazzonem rationem fuisse probatur[1]. Et cum Wenceslaus eodem anno vetus amicitiae foedus cum rege Franciae renovasset[2], — quo eo magis animum intendere debuit, quo minus comitiis Egerianis habitis sperare potuit, civitates sibi subsidio futuras, — statim — quasi similes atque a. 1383 metuisset rumóres, — duos legatos Romam misit[3], qui papae, regis fide et reverentia affirmatis, expeditionem Romanam brevi susceptum iri promitterent. Quae ut fieret, Germaniae et Bohemiae status non permisit. Nam cum et civitatium et principum Germanorum opes bello illo atroci essent exhaustae, ita ut hac ex parte nullum auxilium posset exspectari, regnum Bohemicum magnas in perturbationes coniectum est[4], quibus sedandis Wenceslaus occupatus ne Germaniae quidem, nedum Italiae, rationem habere potuit.

Mense Sept. a. 1390 regem Norimbergae comitia habuisse cognoscimus, quibus leges a. 1385 de re numaria constituenda latas renovavit novumque impetum in Iudaeorum divitias praeparavit[5]. Ubi num aliis de rebus peractum sit, sive de pace regni confirmanda[6] sive de expeditione Italica, propter documentorum penuriam demonstrare nequeo; id unum certum est, regem brevi post ita Bohemicis obrutum esse seditionibus, ut obiter tantum ad res Germaniae respicere posset.

Haec dum fiebant, nova in Germania pacta sunt foedera, quae pacem servarent. A. d. XII Kal. Dec. a. 1392

1) Sickel l. c.

2) Pelzel urk. n. 72. cfr. p. 234.

3) Raynald ad a. 1390, 3. Pelzel p. 235. Palacky p. 56.

4) Palacky p. 58 sq. Höfler p. 83 sq.

5) St. Chr. I, p. 26, 125, 242. cfr. Pelzel I, p. 239. Staelin p. 352.

6) cfr. Janssen, n. 83, 85.

quindecim civitates Suevicae, cum pax Egerae proclamata a vexationibus non defenderet, foedere mutuum sibi auxilium spopondere[1]. Nonnulli principes hoc exemplum secuti sunt[2], atque a. d. III Non. Mai. etiam inter principes et civitates pactum est, cum Albertus, Austriae dux, eiusque consobrini cum quindecim illis civitatibus, quas modo memoravi, arte sese coniungerent[3]. Quodsi hac quidem pactione constitutum est, ut, si novem proximis annis, imperio Romano rege privato, duces coronam ipsorum cuipiam vindicare vellent, civitates eos hac in re adiuvarent, id luculente nobis ostendit, Lützelburgenses ne Austriacorum quidem, regio solio vacante, fidem habuisse constantem et indubiam[4]. Quod ipsum alio foedere ab Alberto duce eodem fere tempore facto probatur.

Cum enim Wenceslaus crudeli et atroci agendi ratione omnium in odium venisset, Bohemicae nobilitatis capita hac occasione usi sunt ad regis secretum consilium removendum[5]. Etiam Wenceslai cognatos ad suas res traducere studuerunt, et re vera eis contigit, ut Sigismundum regem et Iodocum marchionem sibi conciliarent. Iamque cum his, quos modo commemoravi, Albertus dux a. d. XV Kal. Ian. a. 1394 foedus fecit ad mutuam fidem praestandam[6]; quod licet regem exceperit e numero eorum, quibus bellum inferri possit, re tamen vera ad illum spectavit atque consiliis nobilitatis tantummodo inserviebat. Etiam

---

1) Vischer II, reg. 382.

2) Janssen n. 92.

3) Lichnowsky IV, reg. 2404 f. cfr. Janssen n. 440. nt. contra Höfler p. 97. — Staelin III, p. 360.

4) cfr. quae fuerit inter Lützelburgenses et Austriacos ratio inde a tempore Henrici VII.

5) cfr. Palacky p. 70 sq. Aschbach, gesch. des Kaisers Sigmund, I, p. 53 sq.

6) Pelzel urk. n. 96. cfr. p. 277. Aschbach p. 58. Lichnowsky p. 265.

Guilhelmus, Misniae marchio, cuius familia compluries a Wenceslao erat contemta, ad hoc foedus accessit.

Ceteroquin sicut Wenceslaus regni non habuit rationem, ita Germani eum non respexisse hoc tempore videntur. Tum demum, cum m. Maio a. 1394 fama perlata est, Wenceslaum a Bohemiae nobilibus libertate privatum esse [1]), principes, qui se ipsos iniuria regis personae illata violatos iudicavere, illico convenerunt legatosque in Bohemiam miserunt, qui postularent, ut Wenceslao libertas redderetur; quod nisi fieret, principes vim esse adhibituros [2]). Praeterea electores munūs regni vicarii in comitem Rupertum II, dum rex libertate careret, contulere [3]), ita ut eadem re, qua Wenceslai auctoritas maxime minuta est, Palatini augeretur.

Rex m. Sext. liberatem ille quidem recuperavit, sed dissidia in Bohemiae regno hoc modo nequaquam fuerunt composita [4]) imo potius alio foedere, quod m. Dec. a. 1394 regis cognati nobiliumque societas cum duce Austriaco fecerunt, novae praeparatae sunt simultates [5]). Quare Wenceslaus in posterum quoque, ne regni Germanici curam exhiberet, impeditus erat, quae res eo fuit iniquior, quod foedus a. 1389 ad pacem publicam servandam factum erat, brevi erat renovandum, atque lites rixaeque, quae illo foedere minime fuerant remotae, nova ab equitibus inita societate, maius in discrimen regnum vocaturae erant [6]).

Quo modo factum est, ut iam a. d. X. Kal. Iun. a. 1395 principes, qui maxime se periclitari existimabant, firmum inter se pangerent foedus, cui nonnullae quoque civitatium

---

1) St. Chr. I, p. 34. IV, p. 98. ann. Matseenses ad a 1394 (Pertz XII). Janssen n. 95. cfr. Aschbach I, p. 60. Palacky p. 71 sq.

2) Janssen n. 96, 97. Pelzel I, p. 280 sq.

3) Janssen l. c. Häusser p. 206 sq.

4) St. Chr. IV, p. 98. I, p. 34. Palacky p. 83 sq.

5) Pelzel urk. n. 112. Aschbach I, p. 64. Palacky l. c.

6) Gemeiner II, p. 318 sq. Staelin III, p. 362.

accessere[1]). Cum vero hoc modo non contingeret, ut equites plane supprimerentur[2]), a. d. V. Kal. Dec. Wenceslaus edictum emisit, „daz die Gesellschaft, die sich nennt Schlegler und wider ihn und das reich gröblich sei, gänzlich absein und fürbaz nicht mehr gehalten werden solle“[3]). At ne hoc quidem decreto quidquam effectum est, neque equitum societas dissoluta est, nisi eo, quod principes ipsorum foedera confirmarunt itaque ubique superiores discessere[4]).

Iam vero si quaerimus, quam haec equitum seditio habuerit vim, rex eo, quod diremta societate equitum nonnullos ad suam aulam arcessivit[5]), principibus in suspicionem caderet necesse erat, quasi equitum consiliis favisset. Novum igitur odium temere in se Wenceslaus convertit.

Quae res eodem tempore concurrere, minime aptae fuerunt, quibus ratio principes inter et regem mutaretur. Quodsi supra novimus, Wenceslao cum Galeazzone condicionem haud amicam fuisse, tunc temporis res plane aliae factae erant. Nam quo amplius in dies, regia auctoritate in Italia minime valente, Vicecomitis potestas propagata est, eo magis regi optata esse debuit arta cum illo coniunctio. Itaque cum ipso illo tempore Ioannes Galeazzo legatos misisset, qui foedus amicitiamque expeterent et comitis erga regem Romanorum reverentiam profiterentur[6]), Wenceslaus minime cunctatus m. Maio a. 1395 Galeazzonem ducis Mediolanensis dignitate ornavit aliaque brevi post addidit benevolentiae suae testimonia[7]). Hoc vero modo regem ne-

---

1) Gudenus, cod. dipl. III, 613. Sattler, gesch. d. Herzogth. Wirtemb. II, beilage n. 9.

2) Staelin p. 363.

3) Sattler II, n. 7. Pelzel II, p. 314.

4) Sattler 8, 11. Wencker, app. p. 260. cfr. Staelin p. 365.

5) Pelzel II, p. 327.

6) Sickel, vicariat, p. 48. cfr. p. 69.

7) ann. Mediolan. ap. Muratori scriptt. XVI, p. 821 sq. Dumont II, 1. n. 176, 188, 189. Luenig, Cod. It. dipl. I, p. 421, 425. III, 381, 385.

quaquam terras Mediolanenses a regno divelli voluisse luculentissime inde colligitur, quod a. 1397 novo duci privilegium quoddam tribuens apertis verbis id signum perpetuum esse declarat coniunctionis ducatum Mediolanensem inter et regnum Germanicum [1]. At principes Germaniae, quos hac in re digerenda Wenceslaus non respexisset, eo magis offendi necesse erat, quod nonnulli eorum, ut Bavarorum duces et comes Wirtembergensis, propter affinitatem, quae eis erat cum Bernabone Vicecomite a Galeazzone e regno expulso, inimici huius existebant [2]. Neque Florentinorum, quorum una cum Mediolanensibus advenerant legati, ut regem contra Vicecomitis ambitionem excitarent [3], Wenceslaus effugit odium, necessarioque inde secutum est, ut illi Germaniae principum erga Lützelburgenses exacerbatione usi ingentibus pecuniis, quae eis erant, secundis auribus acciperentur [4].

Quae cum ita essent, ubique, quo Wenceslaus animum advertit, rerum in dies peior iniquiorque fiebat condicio.

Iamque accedit, quod eodem fere tempore Conradus, elector Moguntinus, mortuus est [5]. Neque Rupertus Palatinus omnibus nervis elaborare cunctatus est, ut in sedem Moguntinam vir promoveretur, qui non solum principum conspirationis contra Wenceslaum factae non particeps foret, verum etiam, quo erat ingenio atque indole, spem daret, fore ut consilia inita exsequeretur perficeretque. Qui vir fuit Ioannes Nassovius, frater Adolfi archiepiscopi [6]. Atque cum illo Rupertus Palatinus, Conrado vix defuncto, a. d. X. Kal. Nov. a. 1396 artum iniit foedus, quo statutum est, ut

---

1) Dumont n. 189. cfr. Leo III, Höfler p. 105.

2) St. Chr. IV, p. 91. ann. Mediol. p. 784. cfr. Muratori scriptt. XXI. p. 55. Staelin p. 355.

3) Sickel l. c. cfr. Luenig C. I. D. III, 367 sq. I, p. 1111.

4) Höfler p. 103 sq. Aschbach I, p. 134.

5) Ioannes I, p. 708.

6) Trithem. chr. Hirsaug. II, p. 300: „vir prudens atque astutus, qui paucissimis innotescere solebat quaecunque mente concepisset."

Ioannes, si archiepiscopus fieret, Palatino electori ad omnes dignitates honoresque adipiscendos adiuvaret, quos non contra ius fasque peteret[1]). — Quo eiusmodi foedus intenderit, ignorari vix potest. Iuris verbi notio principibus illius temporis satis ampla erat, neque Ioannem Nassovium excipiendum esse, modus ac ratio iam ostendit, qua ad episcopatum se promoveri studeret[2]). Nec si documenta illa respicis coniurationis principum inde ab a. 1384 factae, Hoefleri sententiam probabis, qui a. 1396 non iam tempus fuisse contendit ad consilia de Wenceslao removendo capienda: quippe cum iam tunc temporis gravissimae exstarent caussae, quibus electores a. 1400 regis depositionem proclamarunt[3]).

Neque Wenceslaus ignorabat, quanti esset momenti, virum sibi deditum sedem Moguntinam „Romani imperii principale membrum," occupare, animoque iam praevidit, quod periculum, creato Nassovio, ipsi regnoque instaret. Itaque a papa, ad quem confugerat, precibus petiit, ne Ioannis faveret electioni; nam prosperum eventum in ecclesiae regnique statu emendando habere non posset, nisi ipsius candidatus, Godefridus de Leiningen, Moguntiae archiepiscopus fieret[4]).

Iam vero condicio papam inter ac regem summopere erat mutata. Nam quod Wenceslaus, expeditione Romana in aliud semper tempus dilata, Galeazzonem, qui antipapae sequeretur partes, honoribus decoravit foedusque cum Carolo VI, protectore Clementis VII, iniit, iniquissimo animo Bonifacius IX ferret necesse erat. Ad quae accessere Wenceslai in clerum Bohemiae severitates[5]), quas impunitas papa

---

1) Gudenus, cod. dipl. III, p. 617.

2) Pelzel II, p. 346 sq. Häusser p. 207. Höfler p. 119 sq.

3) Hoeflerus ipse p. 123 de Ioanne haec facit verba: „es war natürlich, dass ein so weltlich gesinnter mann, wie Johann, auf nichts rücksicht nahm, als was ihm vortheil brachte und seine macht vermehrte."

4) Würdtwein, subsid. dipl. III, p. 173 sq.

5) Höfler p. 86. Palacky p. 58. Aschbach p. 53.

eam tantum ob caussam omisisse videtur, quia verebatur, ne, si aliter ageret, rex ad antipapae transiret partes. Quo vero in regem fuerit animo, inde colligi licet, quod archiepiscopum Pragensem, Wenceslai adversarium acerbissimum[1]), cum Romam venisset, non solum benigne excepit, verum etiam quasi laboris studiique mercedem ei dignitatem cardinalem tribuit[2]). Archiepiscopi deinde querelis de Wenceslai agendi ratione quin aurem Bonifacius praebuerit, mea quidem sententia dubitari nequit. Quodsi ad hanc papae adversus regem exacerbationem adsumis ingentem illius avaritiam[3]), qua omnia haberet venalia, neque si omittis, Ioannem Nassovium hac ipsa ex parte nihil non devovisse[4]), iam intellegas, Wenceslai studiis ad Ioannem de Leiningen in sedem electoralem promovendum nihil perfici potuisse. Atque hoc quidem eo magis tibi persuadeas, si consideras, Bonifacio per Nassovium haud dubie de Wenceslai ancipite condicione edocto iam minus fuisse metuendum, ne rex ad antipapam descisceret; Nassovio enim, quocum Rupertus II eiusque affines foedere coniuncti erant, ad sedem archiepiscopalem provecto, firmum praesidium in Germania apud principales electores sibi paravit. Iamque hanc principum coniunctionem curia confirmare studuit. Paullo enim post Ioannem papali auctoritate ad archiepiscopi Moguntini dignitatem promotum[5]) Bonifacius nihil antiquius habuit, quam ut Palatinum comitem hac de re certiorem faceret[6]), et ita quidem res descripsit, ac si Ruperti potissimum opera archiepiscopus ille esset nominatus.

---

1) Palacky l. c. Höfler l. c.

2) Höfler p. 96. cfr. Pelzel urk. n. 116. I, p. 272.

3) Theod. a Niem. II, c. 9. Gobelini Personae cosmodr. (ed. Meibom.) c. 84 sq. Hefele VI, p. 692.

4) Ioannis p. 709. Gudenus III, p. 619, 626. cfr. Höfler p. 122. Schaab I, p. 387.

5) Gudenus III, p. 624.

6) Würdtwein, nova subsidia II, 318.

Cuius designationis fama eodem fere tempore in Germania percrebuerit, quo Wenceslaus in regnum profecturus erat ad eum, ut videtur, finem, ut praesentia sua res Moguntinas ad suam perficeret utilitatem pacemque compluries turbatam restitueret. A. enim d. XV. Kal. Mart. a. 1397 Norimbergam locum comitiorum a. d. III Kal. Mai. habendorum designavit[1]). Rex igitur minime ignoravit, sibi in Germanicum regnum esse proficiscendum; cur vero consilium tunc non exsecutus sit[2]), certam caussam affere nequeo. Utut autem est, aegerrime regem ferre necesse fuit, quod Rhenani electores, comitiis illis a. d. XV. Kal. Mart. indictis, iam a. d. XII Kal. Mart. civitates ad conventum a. d. III. Id. Mai. habendum evocarunt[3]). Quod electorum consilium nequaquam ad regis commoda servanda spectasse, iam Francofurtanorum se gerendi ratio ostendit, quippe qui, rege de instanti principum conventu certiore facto, summopere cognoscere studuerint, quas deliberationes electores habituri essent. „wer es" — haec enim Wenceslao per litteras nunciavere — „daz uwer Konigliche gnade herusz kommende wurde," iam sperari posse, „daz dann alle sache sich gnediglich czu fryden und gnade kerende wurden[4]).

Sed Wenceslaus, ut diximus, consilium in Germaniam proficiscendi hoc tempore non persecutus est, ita ut comitia, quae indixerat, habita non essent. At quem electores instituere conventus celeberrimus fuit. Nam praeter magnum principum civitatiumque numerum legati regis Francogallici et Parisiorum universitatis aderant[5]), atque ei quidem ad hunc finem, ut cum electoribus agerent de schismate componendo, quod Carolus VI ita assequi voluit, ut utriusque papae abdicatio posceretur[6]).

1) Janssen n. 103.
2) cfr. Palacky p. 100. de Bohemiae statu.
3) Janssen n. 104. — 4) ib. 109, 115.
5) ib. n. 112, 111. cfr. n. 125 nt.
6) Hefele VI, p. 703 sq. Schwab „Johann Gerson".

Quod concilium cum Wenceslaus neglexisset, principes, qui aderant, constituere: „ire grosse bottschaft zu dem Konige zu schicken, daz er umb grosse notdorfft und gebresten willen einen heubtman seczen und geben wulle, der von des heiligen richs wegen fride und gnade in den landen mache u. bestelle" [1]. Iam vero Wenceslaus m. Mart. a. 1396 Sigismundum fratrem regni vicarium nominaverat [2]. Qui etsi in regnum nondum advenerat, tamen cum eius adventus cotidie exspectaretur [3] consilio supra allato principes manifeste demonstrabant, Lützelburgensium imperium aequo animo se non iam passuros; neque dubitari potest, quin hac regiae familiae infesta specie consilii illius civitates permotae sint ad sententias suas cohibendas. Itaque electores coacti sunt, ut alium conventum convocarent, qui a. d. VIII Kal. Sext. haberetur, etiamsi rex vicarium non nominaret; civitates vero hoc die declararent, „ob si bei demselben heubtmann den der Konig geben wirdt, und bei den kurfürsten, fursten u. herren bliben und bistendig sin wullen" [4].

Illius principum postulationis re vera Wenceslaus non habuit rationem. Et quo modo, perspecto satis electorum animo, alium fratris loco vicarium proclamare potui? iam ipse ita familiae suae adversariis operam navasset. Praeterea ipsa ad res digerendas in Germaniam proficisci voluit. At hoc iterum in aliud tempus dilatum est. Seditionibus enim Bohemiae minime sedatis [5], alterum quoque diem comitiis a. d. III Id. Iul. Norimbergae habendis dictum omittere coactus est [6]; deinde iter ideo reiectum est, quia Sigismundus, quem Wenceslaus secum in regnum proficisci voluit, Pragam nondum advenerat [7].

---

1) Janssen n. 117.

2) Pelzel II, p. 322. Aschbach I, p. 69. Palacky p. 96.

3) Wencker p. 268 nt. cfr. Janssen n. 125 ut.

4) Janssen n. 117.

5) Palacky p. 97 sq.

6) Janssen n. 121. — 7) ib. n. 122, 123.

Interea principes cum civitatibus a. d. VIII Kal. Sext. a. 1397 iterum convenere, ut erat constitum. Sed cum nihil amplius quam a. d. III Id. Mai. effectum esset, novum conventum a. d. III Id. Nov. habendum edixere atque caussam, cur iterum infecta re discessissent, principes attulere illi quidem „daz fursten u. stede nit als vollich hie gewest sin[1]). Vera autem caussa haud dubie in eo posita erat, quod civitates ne tunc quidem electorum rationem se esse secturas promiserunt, quoniam de regis adventu propinquo edoctae erant[2]).

Quamvis autem principum consilia civium fide ad irritum cecidissent, Wenceslaum effugere non potuit, magnum in discrimen se vocatum iri, si diutius a regno abesset. Nam Ioannes Nassovius ex Italia hoc fere tempore reversus[3]) electoris principalis munus capessivit. Deinde Ruperti II auctoritatem secuti, paullo interiecto spatio, Rupertus III, Fridericus Coloniensis, alii principes arte cum Angliae rege sese coniunxere[4]), quem Sigismundus frati regnum Germanium affectare significaverat[5]). Ad civitates vero quod attinet, quae adhuc ad regis caussam sese adiunxerant, timendum erat, ne, Wenceslao diutius absente, electorum consilia sequerentur. Rex denique, instigante universitate Pragensi, Carolo VI promiserat, Turonium se venturum, ut de schismate tollendo inirent deliberationes[6]).

Quae caussae nescio an Wenceslaum moverint, ut Sigismundo, qui per omne hoc tempus dubia ratione sese ge-

---

1) Janssen n. 125.

2) ib. n. 122. cfr. Wencker p. 268 nt.

3) cfr. Höfler p. 123.

4) Georgisch reg. ad a. 1397, 22, 31, 32. ad a. 1398, 38. cfr. Höfler p. 137.

5) Palacky p. 93 nt. 109.

6) Bulaeus, hist. univers. Paris IV, p. 827. Martène et Durand, thesaur. anecdot. p. 622. cfr. Hefele VI, p. 725. Schwab, Joh. Gerson p. 143.

rebat[1]), non comitante in regnum proficisceretur. Mense Oct. a. 1397 Norimbergae commoratus[2]) maiore studio quae neglexerat corrigere videbatur. Summa diligentia ut regni status emendaretur, operam dedit, omnia ubique digerens et ordinans praedonum castella everti, discordias inter imperii ordines componi iussit. Maxime vero edictis suis civitatibus favit[3]), neque dubitandum est, quin rex fidei probatae mercedem tribuens praesidium sibi reparare voluerit, quo a. 1389 se ipse temere orbaverat. Wirzeburgam quoque se contulit, ubi Gerhardus episcopus cum civibus sui territorii bellum habuit[4]). Quam partem rex esset secuturus, dubium esse nequivit; maxime enim exacerbatus erat contra principes, qui se invito concilia habuissent — Gerhardus quoque his interfuerat[5]) — ipsumque cogere vellent, ut vicarium regni diceret. Itaque cum iam ante iter in Germaniam susceptum civium Wirzeburgensium caussam defendisset[6]), Wirzeburgae edicta emisit, quibus septem civitates imperatori tantum subiectas declaravit[7]).

Omnium principum odia hac agendi ratione in regem ardere necesse erat, ita ut, cum Wenceslaus exeunte a. 1397 Francofurtum venisset[8]), contingeret illi quidem, ut a. d. VIII Id. Ian. a. 1398 pacem publicam per decem annos servandam proclamare posset[9]), sed graviter acerbeque a

---

1) Aschbach p. 66. Palacky p. 116. v. supra foedera, quae Sigismundus cum Austriaco duce iniit.

2) St. Chr. I, p. 56 sq. Pelzel II, p. 356. Staelin p. 367. Palacky p. 108.

3) Georgisch, reg. ad a. 1397, n. 43 sq. ad a. 1398 n. 4 sq. cfr. Pelzel p. 350. Staelin p. 368 sq.

4) St. Chr. l. c. Trithem. II, p. 301 sq. cfr. Haeberlin p. 213, 225. Höfler p. 141.

5) Janssen n. 125.

6) Höfler l. c.

7) St. Chr. I, p. 57.

8) Janssen n. 126. Haeberlin p. 215.

9) Janssen n. 129, 130. Dumont II, 1. n. 192. Lehmann p. 739.

principibus accusatus a. d. XII Kal. Febr. edicta illa in civitatium gratias emissa revocare coactus est[1]). Ceteroquin parvum tunc quoque fuisse studium regem in pace restituenda sublevandi, inde colligas, quod ipsi illi, qui semper de regis socordia verba fecerint, iam m. Mart. a. 1398 constituunt, ut foedus ad quietem servandam modo factum quinque tantum annos valeat[2]). Nec minus mira fuere, quae electores de schismate ecclesiae componendo agebant. Etenim cum antea in conventibus Francofurti habitis ipsi cum legatis Caroli VI deliberassent, quin etiam, ut ait Theodoricus a Niem[3]), Franciae regis consiliis sese propensos ostendissent, Rupertus Palatinus tunc temporis acerbissimis verbis Wenceslai consilium vituperavit, quem diximus in Francogalliam proficisci voluisse, ut deliberationes de removendo schismate haberentur. Iam adeo elector processit, ut declararet, Wenceslaum legitimi papae semper secutum partes schismatis culpam non sustinere; eis hoc esse exstinguendum, qui eius essent auctores. At si verae papae rex denegaret oboedientiam, subditos ipsi dicere posse: „Tu non vis oboedire illi, qui te confirmavit in regem, et nos non intendimus etiam tibi oboedire neque tenemur, quia nondum es rex. Si autem tu es vere confirmatus et denegas oboedientiam confirmanti, iustum est et rationabile, quod nos etiam tibi denegemus“[4]). — Iam intellegere licet, quam audaces electoris voces fuerint; mirandum vero est, quod is, cuius pater summopere studuerat, ne de Wenceslao eligendo cum curia ageretur, regem omnium consensu creatum tum demum legitime promotum statuit, si a papa esset cōnfirmatus[5]). At-

1) Wencker p. 268. Trithem. II, p. 303. Pelzel II, p. 362. Höfler p. 142.

2) cfr. Janssen n. 132. Georgisch. reg. ad a. 1398, 28, 29. Pelzel II, p. 371.

3) de schism. eccl. II, c. 33. cfr. Hefele p. 725. Janssen n. 120.

4) Martene et Durand, thesaur. anecd. II, p. 1172.

5) cfr. quo modo Hoeflerus (p. 132) et Loeherus hac de epistula Ruperti disputant.

que hoc modo cognoscimus, quas concessiones elector curiae facere paratus fuerit, ut papae subsidium nancisceretur in ipsius consiliis exsequendis [1]. — Neque magnum in errorem delabi mihi videor, si Rupertum ideo quoque Wenceslai iter in Francogalliam faciendum impedire voluisse existimo, ne rex artiore foedere cum Carolo VI sese coniungeret. Neque enim comes nescire potuit, Wenceslaum amicitia regis Francogallici haud mediocre sibi parasse praesidium, quo cum deliberatis, ut vidimus, et iam probatis de schismate componendo Francogallorum consiliis, tum Stephani, ducis Bavari cognati, filia Carolo VI in matrimonium data, illum privare studuit, ita ut brevi ante Richardum II, qui item Wenceslao affinitate coniunctus erat, foederibus illis, de quibus supra diximus, sibi conciliare voluit.

Sed ut redeamus, unde egressi sumus, haud scio an Wenceslaus, cognita rerum condicione Francofurti, ubi timor ei incussus est, iter ad Carolum VI omiserit, nisi firmo pacto fuisset obstrictus. Remorum igitur in civitatem reges convenere: ubi Wenceslaus etsi politioris humanitatis expertem sese praebuit, negari tamen non potest, illum in quaestione ecclesiastica deliberanda eam observasse rationem, quae et superiori quo usus erat modo regnique honori respondit [2]. Nam quamquam ab consilio de utroque papa abdicando, quod universitates Pragensis et Parisiensis proposuerant, non abhorruit, ad nihil aliud sese obstrinxit, quam ut Ungariae et Poloniae reges regnique principes ad hoc compro-

1) cfr. Janssen n. 912—914: electores a pape petunt, „ut personam Ruperti (regis electi) dignetur misericorditer approbare. — Hoeflerus p. 133. Rupertum II, non Rupertum III, qui postea rex creatus est, illam epistulam scripsisse probat indeque, ut ipsius verba afferam, colligit, dass keine speculation auf die krone bei diesem schritte stattgefunden habe.“ Etiam Lōherus ita iudicat. — At. Rupert. II. nonne aeque ac filius regnum affectabat? cfr. Häusser I, p. 214.

2) Palacky p. 111 sq.

missum accipiendum commovere simulque papas, preasertim Bonifacium, ut abdicarent, amice adducere vellet[1]). At plura ut concederet, Wenceslaus impelli non poterat, nec cum m. Iun. a. 1398, foedere quae ei cum Carolo VI erat renovato[2]), iterum hac ex parte, ut acrius procederet, admoneretur, consilium mutavit: „Principum consilia" — haec enim sunt, quae Franciae regi nunciavit, — „vitare non possumus, ne videantur contemti, quodque omnes tangit, debet ab omnibus approbari" [3]).

Wenceslaus e Galliae regno redux cum Ruperto III, qui patrem in sedem electoralem successerat[4]), Confluentes convenit, atque cum comes de criminibus quibusdam, quorum erat accusatus, sese excusavisset, veniam impetravit. Iam filius misisse videbatur patris consilia atque mutasse rationem, quae ei erat cum rege, quippe cum paullo post declararet „den König für seinen gnädigen herren haben und seinen gnaden getreulich dienen zu wollen, wie billig ist" [5]). Atque eo magis omnis discordia inter regem et principes sublata videbatur, quod a. d. XVI. Kal. Febr. a. 1399 civitatium Wirzeburgensium res in episcopi favorem diiudicatae sunt[6]).

At Wenceslaus vehementissime errabat, si insidias sibi paratas e medio se iam sustulisse existimavit. Electorum Moguntini ac Palatini ambitio et odium adversus familiam

---

1) Martene et Durand, collectio ampl. VII, p. 431. Palacky l. c. Hefele p. 726.

2) Pelzel II, urk. n. 146. cfr. p. 373.

3) Urstisii, scriptt. rer. Germ. II, p. 180. Pelzel II, p. 377. Nescio an illis verbis colligere liceat, principes Wenceslaum Francofurti vituperasse, quod, electorum consilio non adhibito, Galeazzonem ducem creaverat. v. s.

4) Haeusser p. 212.

5) Pelzel, urk. n. 151. cfr. p. 371. Höfler p. 144.

6) cfr. Löher p. 121.

Wenceslai altius fuere insita, quam ut illi a maiorum consiliis se revocari tam brevi tempore passi essent. Atque iam prima illa de civitatium Wirzeburgensium dissidiis allata diiudicatione edictisque a. 1397 in civium favorem emissis, aperte rex ostenderat, quo inclinaret animo quaque uteretur ratione, si libere agendi ei esset potestas. Accedit, quod conventu illo cum Carolo VI habito rationem regem inter et papam ex sua utilitate mutatam electores effugere nequivit. Nam cum Wenceslaus papam Romanum edocuisset, quae essent ipsius de schismate removendo cogitationes [1]), tantum abfuit, ut Bonifacius regis sententiae assentiretur, ut eum ad expeditionem Romanam ante omnia faciendam exhortaretur. Cum vero papa bene cognovisset, Wenceslaum ipsum in Italiam venire vel nolle vel nequire, Sigismundum, fratrem regis, ad iter suscipiendum commovere studuit [2]): Qua in re non de honore saluteque Lützelburgensium, sed de commodis papae actum esse, inde apparet, quod Bonifacius IX eodem fere tempore cum Ladislao, Caroli Dyrachini filio Lützelbergensiumque inimico acerrimo, arte sese coniunxit [3]). Neque scio an Bonifacius iam putaverit, se eo magis Wenceslai auxilio carere posse, cum ipsius res oboedientia antipapae detracta [4]) in dies augeri viderentur. — Omnes denique, si quae iam erant, dubitationes electorum removere debuere incitationes crebrae a Florentinis factae [5]), et id quidem eo magis, quod hoc ipso tempore seditiones in Bohemia denuo erant sedandae [6]).

Itaque Rupertus Palatinus ac Ioannes Nassovius, cum

---

1) Palacky p. 114. Hefele p. 726. cfr. Urstisius, scriptt. p. 180.

2) Pelzel urk. n. 152.

3) Raynald. a. 1398, 37. Luenig C. I. D. IV, 541. cfr. II, p. 1209. Leo IV. 692. Höfler p. 135. Aschbach p. 115.

4) Bulaeus p. 829 sq. Baluz vitt. I, 1122. Hefele p. 730. Schwab 104.

5) Istoria Padovana di Andrea Gataro. ap. Murat. XVII, p. 839. cfr. Palacky p. 108. nt. 120. Höfler p. 108 sq.

6) Palacky p. 115 sq.

brevi contigisset, ut archiepiscopum Trevirorum, qui infirmo fuit ingenio [1]), et Fridericum Coloniensem, — cui arta coniunctio cum collegis eo fuit optatius, quod victrices opificum societates [2]) novas ei difficultates allaturae erant, — ad suas transducerent partes, — minime cunctati iam a. d. III Id. April. a. 1399 cum electore Coloniensi convenere „von des richs wegen byein zu blyben, einander zu retten u. entschutten, ob yemand sich frevenlich ins rich schicken wolt od inn das vicariat, u. ob der Konig das rich understunde zu smelen ...... dawidder zu sin und sunderlich den von Meylan beruren kein confirmacionem zu thun“ [3]). — Subito igitur quaestio de Vicecomite Mediolanensi regni duce proclamato in medium posita est, nec scio an hoc maxime Florentinos operam non perdidisse probet. Iam enim a 1397, quo elector Palatinus regi sūasit, ne in Francogalliam proficisceretur neve foedus iniret, cum Carolo VI, quippe cum Francogalli regni Germanici commodis in Italia adversarentur, verba addiderat ille: „nec obstat si dicatur quod plures domini in Italia tenent etiam terras regni: quia saltem illi recognoscunt eas a me (i. e. Wenceslao) et etiam serviunt in multis imperio et favent et profitentur se vicarios meos.“ Quod re vera fecit Ioannes Galeazzo, ut supra vidimus; nullo autem modo electores hac re impediti sunt, ne reiicerent illius dignitatem amplificatam.

De hoc principum conventu certior factus Wenceslaus, qui animum electorum perspectum haberet, dubitare non poterat, quin eoram coniuntio contra ipsum familiamque Lützelburgensem esset directa. Itaque primum quidem periculum sibi instans eo avertere suduit, quod Ioannem Nassovium, qui in numero electorum eminebat adversariusque erat gravissimus, propensum sibi reddere conatus est. Quare

---

1) Hontheim, hist. Trevir. dipl. et pragm. II, p. 298, 311. Raynald a. 1391, 12.

2) cfr. Ennen II, p. 806 sq.

3) Janssen n. 870.

m. Mai. a. 1399 archiepiscopo egregia tribuit in Moeno flumine exigenda vertigalia et iam laudibus efferebat fidem et operam a Ioanne imperio praebitam[1]. Sed ne hoc quidem modo quidquam est effectum: elector nimirum accepit vectigalia, at paullo post iterum cum collegis habuit deliberationes, et iam Saxoniae quoque electorem ad conspirationem adducere studebant[2].

Itaque ut exploratissima haberet principum consilia, Wenceslaus, qui, ut postea dixit, „das den kurfürsten nicht zugetraut hätte nach solcher freundschaft als er mit ihnen wäre," legatos ad Rhenum ille quidem misit, non tamen comperit „was der heimlichkeit u. der rathschlagungen wäre"[3]. Quare ipse in Germaniam proficisci constituit, ut aeque atque a. 1397 electorum incepta perturbaret. Kal. m. Sept. Norimbergam locum destinavit comitiis a. d. III Id. Oct. habendis simulque civitates admonuit, ne rebus novis studerent[4].

Antequam vero Wenceslaus consilium suum exsequeretur, electores Rhenani a. d. XVII Kal. Oct. a. 1399 rursus congregati cum Rudolfo Saxonico foedus pepigere ad bella si quae essent oritura communiter propulsanda; deinde statuere, ne se invitis et insciis regni vicarium dici imperiique fines deminui paterentur neve agnoscerent ducem nominatum Mediolanensem[5]. Foedus igitur, quod a. d. III Id. April. inierant electores Moguntinus, Coloniensis, Palatinus, renovatum est.

Eodem tempore electores operam dederunt, ut alios principes sibi conciliarent civiumque animos cognoscerent. Quem ad finem civitates quidem a. d. XII Kal. Oct. a Rhenanis electoribus, quibus seditiones Bohemicae opportunissime venerunt, ad concilium a. d. XIII Kal. Dec. a. 1399 habendum convocatae sunt[6]. Cum principibus autem maxi-

---

1) Würdtwein, nova subs. II. p. 344 sq. cf. Janssen n. 185 nt.
2) Wencker p. 268.
3) Janssen n. 133, 134. — 4) ib. 871.
5) Wencker p. 268. cfr. Janssen 872, 873,
6) Janssen n. 136.

ma ex parte celerius agere licuit, quippe qui sua tantum commoda respicientes rerum novarum studiosi semper exstitissent. Praeterea autem alii Ruperto Palatino affinitate erant coniuncti [1]), alii Ioanne Galeazzone ad ducis honorem promoto a rege offensi. Quod igitur magno cum principum complurium assensu consilia contra Wenceslaum capta audiebantur, mirum non est, atque iam a. 1399 Moguntiae cum nonnullis ceterorum principum electores foedus iniere „umbe einen anderen romischen konig zu erwelen und zu seczen" [2]). Ubi primum satis virium se collegisse censuere, electores quo crebris illis conventiculis intenderent manifestarunt.

Iam vero ut prosperum eventum certum redderent, electores etiam curiam Romanam sibi conciliare studebant. Supra intelleximus, quo modo ratione, quae Wenceslao cum papa fuit, in dies iniquiore facta Bonifacius IX comiti Palatino nonnulla ipsius benevolentiae dedisset testimonia [3]). Qua in re minime acquiescentes electores summopere elaborabant ad papam eo perducendum, ut appertis verbis auxilium promitteret [4]). Magnopere licet dolendum sit hoc loco, quod in universum tantum de Bonifacii se gerendi ratione edocti sumus: id vero pro certo affirmare possumus, Bonifacium ne tunc quidem apertum dedisse responsum, quippe cum sine ulla dubitatione electores auctoritate illius postea usi fuissent. Falsissima autem Hoefleri videtur conclusio [5]), papam hoc tempore Wenceslai caussam quam maxime defendisse. Nam haec opinio adversatur cum condicioni, quam regem inter et Bonifacium intercessisse vidimus, tum ipsis verbis postea a papa emissis [6]) de ratione, quam esset secu-

1) Haeusser p. 212.

2) Janssen n. 873.

3) Rabanus quoque, episcopus Spirensis, Ruperto Palatino intercedente nominatus est. Remling II, p. 7, 15. cfr. Ioannis p. 712.

4) Pelzel urk. n. 161, 162.

5) Höfler p. 157.

6) Raynald. a. 1400, 21.

tus. Mea quidem sententia electores cognovere papae ex parte ne Wenceslaus a regno amoveretur, nihil obstare; quare, Ruperto rege electo, papam ideo tantum adeunt, „ut personam Ruperti .... dignetur misericorditer approbare," Wenceslai autem depositionem ut rem iam dudum transactam commemorant[1]). Neque dubito, quin papa iudicium sibi cohibendum existimaverit, quia eorum, qui Wenceslai sequebantur partes, satis multi adhuc erant, neque diiudicari potuit, quomodo civitates sese haberent. Iam accedit, quod etiam si electorum victoria dubia non fuisset, familia Lützelburgensium praepotens respicianda fuit, praesertim cum antipapa, quamquam Carolus VI oboedientiam ei detractaverat eiusque castellum obsidebat, haudquaquam dignitate se abdicaret[2]).

Quae cum ita essent, electoribus iam id erat agendum, ut civitates ad sua traducerent consilia. Atque pugna ad Döffingen facta civium potentia adeo fracta erat, ut ad praedones arcendos principum semper auxilio egerent[3]). Deinde Wenceslaus qua erat usus ratione cum in bello illo atroci, quod civitates gesserant, tum in comitiis Egerianis magnum in civium odium venisset necesse erat. Licet a. 1397 civitates permulcere studuerit; hoc tamem continua eius e regno absentia paullo post oblivioni traditum esse videtur, quia civibus duce carentibus propter pacem infirmam cum principibus rursus erat conferendum. Itaque iam a. 1399 civitates Moguntina, Wormatiensis, Spirensis, Wetterauenses cum Ioanne Nassovio et Ruperto Palatino coniunctae communem expeditionem fecere[4]), atque artiora earum foedera cum principibus ineunda exspectari poterant, praecipue cum

1) Janssen n. 913, 914.

2) Raynald. a. 1399. Baluz. p. 1126, Hefele 732. cfr. Aschbach p. 138. Pelzel II, 422. Haeusser p. 216. Palacky p. 123.

3) Staelin p. 359 sq.

4) Böhmer, fontes IV, p. 385. Schaab I, p. 399. Höfler p. 147.

Rupertus III quovis modo ut gratiam civium captaret operam daret[1]).

Cum igitur ne civitates quidem consiliis electorum fortiter repugnaturas verisimile esset, omnia huc redibant, num Wenceslaus ad diem, quem constituerat, (a. d. III Id. Oct.) veniret. Nam vix dubitandum est, quin acriter strenueque agendo principum machinationes, si non perverterit, at disturbatas reddiderit. Iam a. d. VI Id. Oct. de itinere suscipiendo meditatus civitates provocavit, ut sibi in regnum advenienti cum opibus praesto essent[2]): at in temporis discrimine animus et perseverantia defecere. Nam cum seditiones Bohemiae quacumque ratione sedandae fuissent atque regem etiam sine fratre Sigismundo, qui Procopio insidias pararet[3]), in Germaniam properare necesse esset, Wenceslaus consilio mutato Ioannem, burggravium Norimbergensem, ad principes emisit, ut regis absentiam excusaret simulque cum electoribus de comitiis habendis ageret, quibus Wenceslaus cum principum consilio de regni negotiis deliberaturus esset[4]).

Quam postulationem, quamvis aequa esset, electores non probarunt, imo omnia, cum certo scirent, regem in regnum non venturum, praepararunt ad conventum Francofurti habendum, quo civitates quoque convocatas diximus. Etiam ad cives rex dederat litteras: quia ipse in Germaniam venire non posset, legatos se mittere, ad quos m. Dec. a. 1399 Norimbergam amicos de imperii rebus acturos legarent[5]).

Atque regis consiliarii, quos diximus, mandatis in conventu principum, qui instabat, referendis instructi illi quidem erant[6]); sed cum dies constitutus (a. d. XIII Kal. Dec.)

---

1) Schaab II, n. 270.

2) Janssen n. 874. Male hac de epistula agit Loeher, p. 122.

3) Palacky p. 116 sq.

4) Janssen n. 878.

5) ib. n. 139. cfr. Weizsäcker, R. T. A. I, p. 543.

6) Janssen n. 140.

advenisset, non solum civitatium Suevicarum oratores[1]), verum etiam missi regis non aderant. Hi quidem apud electores civesque absentiam excusantes Norimbergae admonitos se nunciavere, „wie daz sie niht wol sicher zu dem tage gen Frankenfurt kommen konden;“ et alia „notliche sachen und gescheffte“ ipsos retinuisse[2]). — Atque re vera regni pacem summum in discrimen vócatam fuisse opportet; neque cives Francofurtani „vor grossir fehede, kriege und besorglichkeit“ ausi sunt, consiliariorum quendam ad regem mittere[3]). At huic regni calamitati ut operam navarent removendae electores, „columina sacri Romani imperii,“ tantum abfuit, ut secretos haberent conventus ad regem imperio spoliandum, neque curae eis fuit, quod tali ratione novae orituræ erant perturbationes.

Iam vero quod ne Suevicae civitates quidem concilii Francofurtani participes erant, electores ut cautiores essent admonuit eisque persuasit, illorum, qui Wenceslao nón iam essent abalienati, adhuc multos esse. Sane quidem a. d. XII Kal. Dec. a. 1399 Ioannem inter Nassovium et civitatem Moguntinam foedus pactum est[4]); sed eo, quod regis legati in Germania aderant, qui Wenceslaum brevi adventurum nunciarent, Rhenanis quoque civitatibus contra electorum incepta dubitationes excitatae videntur. Quare ut vera consilia quam maxime celarent, electores conventum ad papae condicionem emendandam se cónvocasse simulabant, quam viam eo libentius inierunt, quia hoc modo Bonifacius propensior factus est. Itaque Francofurti primum quidem e civitatibus quaesitum est, num aeque ac principes a partibus papae Romani rebus adversis afflicti perseverare vellent. Quod secuta est quaestio multo captiosior electoribusque gravissima, num civitates cum principibus stare vellent, si rex

1) Janssen n. 141.
2) ib. 875, 877. — 3) ib. n. 146.
4) Schaab I, p. 402. II, n. 275.

„eynen vicarius des richs uffwerffen wulde und sie beduchte, daz er dem riche yn und dem gemeynen lande nit nuczlich were und bequemlich“ [1]). Itaque cum civitates antea sententiam rogatae essent, num probare vellent vicarium, quem Wenceslaus ab electoribus admonitus constitueret, tunc cives iam ad res novas stimulati sunt. Sed de novi regis eligendi consilio principes nullum omnino fecere verbum, atque quaestionem illam de vicario agnoscendo aut reiiciendo electores ideo sine magno periculo ponere potuerunt, quia civitates quoque haud dubie Sigismundum, regni vicarium constitutum, nondum advenisse aegre ferebant [2]),

Maxime hoc quoque locum dolendum est, quod de reliquis rebus, quae Francofurti m. Nov. deliberatae sunt, edocti non sumus. Sine ulla autem dubitatione deliberationes initae tales fuere, ut consilia electorum, quippe qui iam dudum ad novum regem eligendum sese coniunxissent, omnes haberent perspecta [3]), ita ut civitates commodis ipsarum magis se servire existimarent, si certum responsum non darent [4]). Quare decretum est, ut cives archiepiscopo Moguntino sententiam suam usque ad diem nativitatis domini nunciarent.

Atque ut ad Wenceslai legatos redeamus, de quibus supra diximus, una cum excusatione illa perlata regis auctoritate civitates quidem exhortati sunt, ut amicos die a rege constituto (m. Dec.) Norimbergam mitterent [5]), principes vero, ut a. d. VIII. Id. a. 1400 eandem in urbem convenirent, „oder duhte sie in daz zu ferre odir zu swere seyn gein frankenfurd, wann er (sc. rex.) doselbist hin zu in unverzogenlich kommen will uff sulchen tagen und stad, als sie (sc. principes) obirein werden“ [6]): omnia regni damna et

1) Janssen n. 147.

2) cfr. ib. 151.

3) ib. n. 148. — 4) ib. n. 147.

5) ib. n. 876. — 6) ib. n. 878.

calamitates Wenceslaum cum principum consilio et subsidio esse remoturum. Ad maiores licet concessiones Wenceslaus vix potuerit descendere: electorum tamen responsio probae huic invitationi nequaquam accomodata fuit, imo luculentissime ostendit, quae principum illius aetatis fuerit arrogantia ac superbia.

Electores enim Moguntinus et Palatinus regis lagatis perscripsere, „collegas Coloniensem et Trevirensem ipsos Francofurtum non venisse, neque epistulas nisi die Dominico (a. d. IX Kal. Dec.) perlatas esse, insequenti vero die principes Francofurto proficisci voluisse. Qua re si nihilominus regis legati Francofurtum venire vellent, oratores sese agendi potestate instructos eo missuros, hac vero de re antea electores Coloniensem et Trevirensem certiores esse faciendos[1]). — Quam responsionem invitationis recusationem aequasse, non est cur moneam. Optimo igitur iure Wenceslai legati electorum postulationem reiecere; mandatum enim esse, ut electoribus ipsis regis voluntatem referrent; atque iterum petiere „mit ganzem flisse, daz ir (sc. electores) uns noch virschriben und entbieten wullit, wohin u. uff welche zyt wir zu uch kommen mochten . . . Wann geschee daz nit, so mogit ir selber wol virsteen daz is an dem konige niht abeginge, sunder an uch, daz des richs sache unbestalt u. in irrsal bestunde“[2]).

Cuius epistulae nullam rationem electores habuisse videntur. Iam fuit decretum, ut Wenceslaus a regno removeretur; pertaesum eos erat Lützelburgensium imperii, neque cum Wenceslao neque cum legatis eius agere in animo erat.

Ex civitatium vero numero complures regis invitatione accepta m. Dec. a. 1399 cum legatis Norimbergam convenere. Neque autem certum quidquam constitutum est. Legati cives admonuere illi quidem promissionis regi a. 1387 datae; sed Wenceslaus nonne ipse pace Egeriana foedus cum civitatibus pactum ruperat, eiusque rei recordatione nonne

1) Janssen n. 880. — 2) ib. n. 881.

cives a novo ineundo foedere deterreri necesse erat? Praeterea, ut diximus, civitates electoribus promiserant, fore ut usque ad diem Nativitatis Domini sententiam suam nunciavissent; cum vero oppidorum oratoribus Norimbergae vix notum fuisset, quae consiliariorum ad Ioannem archiepiscopum foret responsio, existimavere se antea melius informandos esse, ita ut cum Wenceslai legatis alium diem constituerent, quo Esslingiam convenirent [1]).

Sane quidem civitates a. d. XVI. Kal. Febr. a. 1400 hac in urbe iterum deliberationes iniere; attamen rursus infecta re discessere. Cives se regi obstrictos esse foedere illo a. 1387 facto professi quidem sunt, sed Wenceslao ipsi ante omnia regni negotia strenue agenda iudicavere; et quam parvi esset momenti auxilium regi ferendum, iam edocuerunt tenues suas et exiguas opes et facultates enunciantes [2]).

Interea principes de novo rege eligendó amplius egerunt. M. Febr a. 1400 Francofurti congregati foedus illud, quod m. Sept. a. 1399 inierant, ita mutavere, ut si quis rex eligeretur „uss den geschlechten u. geburten von den wapen von Beyern, von Sahssen, v. Missen, v. Hessen, v. dem Burggraven von Nürenberg oder den graven von Wirtemberg“ omnibus hunc agnoscendum esse pangerent; alius vero si quis crearetur, unumquemque quomodo vellet se habere posse censuerunt [3]).

Wirtembergensis familia in hunc candidatorum numerum haud dubie idcirco recepta est, — quamquam Eberhardus comes ad foedus illud electorum nondum accessisset — ut hunc potentem principem, quem Ioannem Nassovium iam antea sibi conciliare studuerat [4]) propensum

---

1) Janssen n. 151—153. cfr. Weizsäcker p. 543.
2) l. l. c.
3) Janssen I, 154, 155, 157. n. 882.
4) Ioannis I, p. 712.

sibi redderent eumque a foedere artissimo, quod cum Austriae duce fecerat[1]), declinarent.

Aeque ac familia Lützelburgensis neque Habsburgensis neque Guelfica in numero eorum erat, quorum in eligendo ratio haberi posset. Atque Guelfici quidem principes nullo unquam modo electorum conspirationis participes fuisse videntur; Austriae vero duces, qui paullo ante cum quindecim civitatibus ad electionem unius ex ipsorum familia se coniunxerant, Ruperto Palatino nescio an competitores nimis periculosi fuerint. Quis enim praestitit, duces illos, qui etiam cum Wirtembergensi comite artum pepigerant foedus, non eo tendere, quo Rudolfus IV cum patre Eberhardi coniunctus[2])? — Omnium denique principum interfuit praecavere illud, ne rursus potentis regis imperio subiicerentur. Mirum igitur non est, ad foedus electorum ad novum regem eligendum initum, cuius opes cum Lützelburgensium potentia comparatae exiguae erant, alios principes brevi accessisse[3]); illud tantum nescio quomodo sit explicandum, quod etiam principes, qui in candidatorum illo numero non essent, — ut Fridericus Brunswicensis et Leopoldus Austriacus — cum electoribus sese coniunxere[4]).

Qua in re id tamen observandum est, principes illos tum demum ad foedus illud se adiunxisse, cum conventu Francefurti m. Mai. a. 1400 habito (de quo infra agendum est) sibi persuasissent, se nihil adsecuturos eo, quod non accederent; ad omnes enim casus electores consilia sua peracturi erant. Deinde cum principes illi cum electoribus foedus pangerent, candidatorum series, de qua diximus, non respecta videtur; Fridericus enim Brunswicensis et Leopoldus Austriacus — Guilhelmus aeque atque Albertus, qui impe-

1) Lichnowsky IV, reg. 2402. V, reg. 156, 391. cfr. Staelin III, p. 360.

2) Lichnowsky IV, reg. 89. cfr. p. 23. Staelin p. 362.

3) Janssen n. 883 sq.

4) ib. 886, 889.

rium Austriae tenebant, ad foedus non accesserunt — cum electoribus se coniunxere ad novum regem eligendum, alii vero principes, qui eodem tempore foedus illud iniere, candidatorum illius numeri rationem habuere [1]).

Atque ut eo quo egressi sumus revertamur, concilio illo m. Febr. a. 1400 habito praeter electionem novi regis illum in modum faciendum constitutum est, ut alius conventus m. Mai. haberetur [2]), ad quem etiam principes invitarentur, qui ab electorum contra Wenceslaum coniuratione adhuc se abstinuerant. Atque epistula ad Fridericum Brunswicensium ducem, data [3]) manifeste ostendit non solum civitates, verum etiam principes, quorum fides adhuc dubia fuit, de consiliis adversus regem captis celatos esse. Nam quamvis conventu illo habendo omnia ad Wenceslai depositionem pararentur, nunciatum est, fore ut regni ecclesiaeque negotia fideliter et concorditer tractarentur.

Wenceslao de principum conventiculis per Francofurtanos edocto [4]) omnibus nervis iam impediendum erat, ne novum hunc conventum electores haberent. Nam etiam tunc tempestatem impendentem fortiter strenueque agendo evitare potuit: civitates electorum consilia nondum probaverant, principes vero nequaquam inter se erant concordes nec dissentientes.

Re vera primum quidem rex consilium iniisse videtur, electorum foederi civitatium equitumque foedus opponere [5]). Atque cum remotum videretur dissidium inter familiae suae socios [6]), a. d. VIII Id. April. a. 1400 per litteras nunciavit, initio m. Maio in Germaniam se venturum, iamque constituit, quomodo se absente Bohemiae res se haberent [7]).

1) Janssen l. l. c. cfr. n. 888.

2) ib. n. 157. cfr. 885.

3) ib. n. 885. — 4) ib. n. 157—159.

5) ib. n. 158.

6) Palacky p. 120.

7) Janssen n. 160. Palacky p. 121.

At renovatis propinquorum litibus ac rixis[1]), rursus ab itinere detentus est. Sane quidem a. d. XII. Kal. Iun. civitatibus alium diem (a. d.VIII Id. Iun.) indixit[2]); sed stulti fuit, magnum multumque inde exspectare fructum. Equitum civitatiumque illud foedus, si brevi rex eius caput se non praebuit, principes tantummodo ut celerius acriusque in consiliis exsequendis procederent, impellere potuit. Usque vero ad a. d. VIII. Id. Iun. electores satis nacti sunt temporis familiam regis contumelia dudum deliberata afficiendi.

Itaque nihil magni Wenceslaus ad periculum propulsandum fecerat, et iam aderat dies concilio Francofurti habendo ab electoribus constitutus.

Quantum potuerant, omnia praeparaverant: omnes principes civitatesque convocati erant; externi aderant legati regum Angliae, Hispaniae, Franciae[3]), quorum e numero Francogalli iam conventui m. Febr. habito interfuerant[4]). Cum vero Francofurti m. Maio a. 1400 de componendo ecclesiae schismate minime fuisset agendum neque actum esset, absurda mihi non videtur sententia, electores eam tantum ob caussam externos legatos invitasse, ut et apud civitates, quae adhuc dubiis erant animis, speciem exhiberent, quasi ecclesiae regnique salus ipsis curae esset, et Franciae regem simulate eius de schismate consilium probantes retinerent, ne Wenceslao, socio suo, auxilium ferret. Et eo magis hoc sperare licuit, quod Carolus VI iam cum Florentinis contra Galeazzonem ducem, Wenceslai amicum, se coniunxerat[5]). Illis denique cum Francogallis initis deliberationibus nescio an papam iudicium

---

1) Aschbach I, p. 141. Palacky l. c. cfr. Janssen n. 162. 887.

2) Janssen n. 167.

3) ib. n. 896.

4) ib. n. 157.

5) Luenig, C. I. D. I, p. 1111, 1115. cfr. p. 1359. Quomodo principes Wittelsbachii Francogallicam aulam sibi conciliare studuerint, v. Droysen, gesch. d. pr. polit. I, p. 219 sq.

cohibentem cogere voluerint electores[1]), ut aperte se ipsorum fautorem profiteretur. Cui sententiae iam respondet legatio dominorum clericorum et laicorum, quae ab electoribus ad Carolum VI m. Iulio missa est, ut de re quadam secreta ageret[2]).

Iam vero cum Wenceslai depositio res esset dudum constituta, Francofurtano illo in conventu quaerebatur, quis in regnum fieret successor. Qua de re dum principes agebant inter se dissentientes[3]), regis legatus advenit, qui electoribus potestatem comitia iniussu Wenceslai habendi negabat principesque ne novis rebus studerent admonebat[4]). Neque enim Wenceslaum effugit, quid sibi vellet ille principum conventus, et iam sibi persuaserat, aliis de rebus quam de ecclesiae regnique inopia tollenda agi. Legati, quos continuo in Germania habuit, et Francofurtani satis eum de principum conspirationibus edocuerant. — Sed vel tunc, extremo quasi temporis momento, in gratias cum electoribus redire studuit. Principes enim monuit, ut de die certo cum legatis convenirent, quia cum illorum consilio regni negotia esset tractaturus.

Indulgentiae iam vero locus non erat. Electores Rhenani iam magis ad omne discrimen accincti erant, quam ut ultro ad regis partes rediissent, atque haud dubie efficere studebant, ut ne haec quidem regis invitatio respiceretur.

Legationi autem opportune venit principum discordia, et iam apparuit, quae Wenceslaus perficere potuisset, si cum suis in regnum advenisset. Nam biduo post legati illius adventum Fridericus Brunswicensis et Rudolfus Saxonicus deliberationum electorum non iam erant participes at-

---

1) cfr. rationem, qua Rupertus rex postea se habuit, ut a papa agnosceretur. Höfler p. 230. Hefele VI, p. 739.

2) Janssen n. 179.

3) Wencker app. p. 268.

4) Janssen n. 887.

que illico cum amicis Francofurto profecti sunt[1]). Et si caussam quaeras, cur principes illi concilium neglexerint, certum quidquam afferri nequit[2]).

Fridericus dux a. d. III. Kal. Iun. foederi ad novum regem eligendum accesserat[3]). Quare vix statuendum est, Fridericum ideo profectum esse, quod electores familiam Guelficam ad sex illas domus, quarum in novo rege eligendo haberetur ratio, adiungere noluerint.

Sine ulla dubitatione electores Rhenani, — quibus candidatorum ille catalogus formula tantum fuit, cum ipsorum suffragia in eligendo essent praerogativa, — hoc pretio Friderici Rudolfique amicitiam sibi servassent. Neque probabilior sententia videtur, Rudolfum et Fridericum discessisse, quia hunc Wenceslai successorem creare noluerint. Fridericus conspirationis contra Wenceslaum nullo unquam modo particeps fuerat, neque m. Febr. a. 1400 electores animum eius perspectum habuere[4]), ita ut quo modo subito coronae petitor exstiterit, minime intellegam. Rudolfus vero iam Kal. Iuliis a. 1400 cum principibus quibusdam se ad regem novum eligendum coniunxerat, quamquam Guelforum familia in candidatorum numerum non assumpta fuit[5]): qua re eodem tempore ut Fridericus, affinis suus, crearetur, postulare nequivit[6]). Civitates denique, quae ex Loeheri

---

1) cfr. Janssen n. 888.

2) cfr. Meibomius, diss. de Friderico, III, p. 420 sq. Havemann. d. Mord herzogs Friederich. — im Archiv d. hist. Ver. f. Niedersachsen, 1847. p. 348.

3) Janssen n. 886.

4) Janssen n. 885. — 5) ib. n. 888.

6) cfr. Havemann l. c. p. 352. Quomodo Hav. qui Fridericum ideo profectum, quod rex electus non est, statuit, sententiam suam loco allato ex Gobelini Personae cosmodromio c. 70. probaverit, capere nequeo. — Meibomius vero (III, p. 420), qui Fridericum iam inter reges Romanorum numerat, opinionem fulsit „chronico Saxonico, quod vernacula lingua incerto auctore a. 1 4 9 2 Moguntiae prodiit." — Cfr. Have-

sententia Friderici electionem maxime optabant, deliberationibus, quae babitae sunt, non interfuere, ita ut electores per legatum eas postea edocerent[1]).

Quae cum ita sint, caussa subitae profectionis ea in re nescio an quaerenda sit, quod Friderici ex parte non iam neglegebantur omnia iurisiuranda et iuris formas, imo dux atque elector Saxoniae, qui Lützelburgensis magnopere erat obstrictus[2]), legationem regis, quae modo advenerat, respici voluit certumque diem constitui, quo comitia haberentur. — Tale si probatum esset consilium, profecto electoribus Rhenanis summopere erat metuendum, ne omnes ipsorum conspirationes ad nihil reciderent: qua re omnibus viribus restiterint, ne acciperetur. Attamen Friderici agendi ratio electoribus persuaserit, iuris speciem quam maxime esse servandam, ne alii ab ipsorum partibus deficerent.

Itaque pridie Non. Iun. a. 1400 inter eos convenit, ut diem, quo conventum cum Wenceslao haberent, constituerent[3]), alio sane modo, quam rex poposcerat. Nam Wenceslaus sine ambagibus provocatus est, ut a. d. IV. Id. Sext. a. 1400 sese purgandi caussa in oppidum Oberlahnstein veniret; quodsi non veniret, se a regno remotum iri. Eodem die electores Saxoniae et Brandenburgiae ad illum conventum invitati sunt[4]). Nemo autem eorum quin veniret, electores Rhenani dubitare non poterant. Nam Wenceslaus, si venisset, electorum conspirationem quasi sanxisset. Iodocum vero — ne afferam, hoc tempore eum denuo bellis implicatum fuisse[5]), - de Wenceslao, cognato suo, iudicium exerciturum ad familiae suae contumeliam,

---

mann, gesch. d. lande Braunschweig-Lüneb. I, p. 552. — Höfler p. 163. Pelzel II, p. 403. Palacky p. 122.

1) Janssen n. 171.

2) Haeberlin IV, p. 22. Weizsäcker R. T. A. p. 51. nt. 1.

3) Janssen n. 893.

4) ib. n. 894, 895.

5) Palacky p. 121.

vix exspectari potuit. Rudolfus denique paucis ante diebus cum collegis dissidens subita sua profectione probaverat, se participem coniurationis esse nolle. Atque si ulla iam dubitatio electoribus erat, biduo post litteras ad Rudolfum missas eam expelli necesse erat. Nam Non. Iun. a. 1400 agmen principum, qui a concilio Francofurtano profecti erant, milites electoris Moguntiae et Frislariam invaserunt, quo impetu Fridericus dux interfectus, Rudolfus elector captus est[1]). Itaque fieri non potuit, quin ab omni electorum incepto abhorreret.

Qua re neque Wenceslai neque ceterorum electorum ex parte principibus quidquam verendum fuit. Iam quaerebatur, quomodo civitates se haberent, quarum oratores Francofurti aderant. Pridie Non. Iun. per legatum de decretis principum edocti ad conventum a. d. IV Id. Sextil. habendum invitati sunt[2]). Cum vero Francofurtanum concilium discederet neque civitates, ut consueverant, claris verbis ostenderent, principum consilia utrum probarent an reiicerent, alius dies constitutus est, quo cives convenirent (Kal. Iul.). Quo die licet civitates Moguntiae congregatae fuerint[3]), neque tamen sententiam suam significavere. Nulla enim ex parte quidquam factum erat, quo permotae essent ad certum locum obtinendum.

Wenceslaus, quem Francofurtani de principum consiliis certiorem fecerant[4]), in ea re acquievit, ut civibus se brevi in regnum venturum nuntiaret, non vero ad consilium exsequendum quidquam paravit[5]). Neque eo rerum commutatio fieri potuit, quod Wenceslaus hoc fere tempore Sigismundo fratri potestatem Romam proficiscendi tribuit. Nam, — si quae commoda haec expeditio parare potuit, — Sigismun-

1) Havemann l. c. p. 353. Meibom. l. c. cfr. Höfler p. 163 sq.
2) Janssen n. 171. — 3) ib. n. 176, 898.
4) ib. n. 172. — 5) ib. 174. 175. 179.

dus eam non suscepit [1]. — Altera ex parte electores maxime cavebant, ne civitates de omnibus ipsorum consiliis edocerent. Qua ratione Wenceslaus removeretur, quis esset successor designatus et quomodo novus rex ad civium libertates se gereret, — haec omnia electores celabant, neque quem ad finem legatio illa in Franciam missa esset, civitates noverant [2]. Praeterea autem inter ipsos principes facta Friderici ducis illa clade duae exstitere partes. Quicunque Guelficis Saxonicisque rebus favebant, arma sumpsere, ut Friderici mortem, cuius auctorem Ioannem Nassovium putabant, ulciscerentur [3].

Cum res ita sese baberent, satis caussae civibus fuit, cur iudicium suum cohiberent et neque regem neque principes offenderent. Haec via civitatibus eo magis ingredienda fuit, quod censebant, fore ut bella inter principes oritura conventum indictum impedirent. Qua re civitates censtituere, ut, si nihilominus principes in oppidum Oberlahnstein convenirent, primum quidem ex electoribus quaereretur, quis esset rex futurus, quod praesidium cives exspectare et quomodo Wenceslaum „mit eren und gelympe" omittere possent; Non. vero Sextil. civitatium oratores, ut amplius hac de re agerent, iterum Moguntiam venirent [4].

Alterum hunc conventum ex optato civitatis Coloniensis a. d. VI Id. Sextil. Confluentibus habuerunt, indeque principibus nunciatum est, civitates regi Romanorum obstrictas certi quidquam respondere non posse, p a r a t a s a u t e m e s s e a d n o v a i n e u n d a c o n s i l i a [5]. Minime igitur cives electorum inceptis sese opponere animum induxere, atque paucos eorum a Wenceslai partibus stetisse, foedus

---

1) Pelzel II, urk. n. 166. Palacky p. 123.
2) Janssen n. 898. cfr. Koenigshoven p. 142.
3) Havemann l. c. Meibom. III, p. 425.
4) Janssen n. 897 sq.
5) ib. n. 900 sq.

probat, quod a. d. X Kal. Sextil. a. 1400 Sueviae civitates cum Wirtembergensi comite inierunt [1]. Hoc enim pactum est, ut si Wenceslaum diem obiret supremum, aut aliae fierent commutationes, quibus novus rex eligeretur, aut quis regnum affectaret, — foedus modo factum his rebus non turbaretur.

Itaque aeque ac papa civitates sententiam suam non protulerunt. Electorum agendi ratio cum iniusta tum periculosa eis videbatur, quoniam domus Lützelburgensis, quacum dux Mediolanensis et Friderici Brunswicensis propinqui se coniuncturi essent, opibus satis magnis valebat. — Altera vero ex parte civitates Wenceslai rationis, quam a. 1389 secutus erat, recordatae impeditae sunt, ne infestam et inimicam condicionem cum principibus sibi redderent. Quare Loehero assentire nequeo, qui civium responsionem illam argumentum exhibet eius rei, quod electores optimo iure ad Wenceslai depositionem processere. Equidem prudentia ipsiusque salutis cura civitatibus rationem ineundam praescriptam esse censeo.

Cum dies constitutns iam immineret, neque verendum esset, ne quis Wenceslai caussae evaderet defensor, electores Rhenani cum sociis se ad oppidum Oberlahnstein contulere et a. d. XIII. Kal. Sept. a 1400, nemine obloquente, Wenceslaum a regno remotum decrevere et proclamavere [2].

De caussis, quibus electores permoti contra Wenceslaum ita processerunt et ipsorum coniurationem probare voluere, non esse videtur, quod accuratius agam. Iam satis multa verba hac de re Pelzel, Haeberlin, Aschbach, Höfler, alii mihi fecisse videntur, neque horum sententias a Loehero refutatas existimo.

At si quaeras, quod nostrum sit de Wenceslao iudicium, longe abest, ut exemplum regis Germanici ab illo re-

---

1) Sattler II, beil. n. 19. Staelin p. 366. nt. 7.

2) Janssen n. 905 sq.

petamus: multa gravissimaque sine ulla dubitatione inveniuntur, quae optimo iure in eius regno reprehendas. Electores vero specie tantum iuris normas et regulas servasse, luce clarius iam eo apparet, quod inde ab a. 1384 maiores in dies insidias regi parabant et facto iam iudicio lataque sententia Wenceslaum ad conventum invitarunt, cuius neminem nisi se ipsos rationem habiturum haud ignorabant. — Neque Wenceslao soli esse tribuendum, quod regni status miserrimus neque ecclesiae schisma compositum erat, imo maxima ex parte principibus, qui suis tantum commodis serviebant, — luculentissime regnum Ruperti docet: ne fortiori meliorique quidem viro contigit, ut, quae rerum erat condicio et principum animus, ecclesiae regnique statum emendaret.

V I T A.

Natus sum Franciscus Voiss Stolbergae, in oppido prope Aquisgranum sito, a. d. XIX. Kal. Febr. a. h. s. XLVII patre Francisco, matre Elisabeth e gente Iussen, quorum alterum morte mihi ereptum esse lugeo, alteram superstitem esse gaudeo. Fidem profiteor catholicam. Primis litterarum elementis patrio in oppidò imbutus gymnasium adii, quod Marcoduri Meiringio directore floret. Auctumno a. LXV maturitatis testimonio instructus ad academiam Monasteriensem me contuli, in qua per duo semestria studiis philologicis et historicis operam darem ducibus V.V.C.C. Heiss Nihues Parmet Stoeckl Stórck Winiewski. Deinde in regnum Belgicum profectus sum, ubi universitatis Lovaniensis civibus adscriptus prodocentes audivi viros cl. Moeller de Monge. Inde a. h. s. LVII hanc almam litterarum universitatem petii et usque ad hoc tempus scholas frequentavi virorum doctissimorum: Delius Iahn Kampschulte Knoodt de Noorden Ritter Schaefer Simrock de Sybel. Praeterea benevolentia directorum cl. Kampschulte Schaefer de Sybel mihi contigit, ut per totum studiorum Bonnensium tempus seminarii regii historici sodalibus adscriberer. Quibus viris omnibus optime de me meritis gratias ago quas debeo maximas, imprimis vero Henrico de Sybel, qui in rebus historicis tractandis cum subsidiis tum consiliis me adiuvit.

Sententiae controversae.

I) *Livius in libro XXI conscribendo Polybium ut fontem non adiit.*

II) *Caelius a servo quodam Scipionem pugna ad Ticinum facta servatum esse optimo iure commemorat. (v. Liv. XXI, 46.)*

III) *Alaricus a populo Gothico rex non est electus. (Iordanis de reb. Get. 29.)*

IV) *Stilico a. 402 Alaricum apud Pollentiam devicit.*

V) *Billungi de iure et facto ab initio ducatum in Saxonia inferiore exercuere.*

VI) *Zwinglianis ad Cappel devictis Lutheranorum doctrina in Germania superiore propagata est.*

VII) *Darnleio Murraii insidiis exitium comparatum esse, probabile est.*

VIII) *Francogallica institutio in gymnasiis nimis neglegitur.*